LAVRENTII GAMBARÆ BRIXIANI, RERVM SACRARVM LIBER.

CVM Argumentis Iacobi Pacti Siculi Mamertini.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXVII.

BERNARDINVS PASSARVS·RO·INV·

IACOBVS PACTVS SICVLVS MAMERTINVS AD LAVRENTIVM GAMBARAM, DE SACRIS EIVS POEMATIBVS.

FALSÒ olim ſacros dixerunt ſecula vates
Impia; qui turpes, qui res cecinere profanas:
Fictáque carminibus celebrarunt numina vanis.
At tu; Cælicolas toto qui pectore, Patremque
Æternum celebras per ſacra hæc carmina; verè
Es ſacer; æternámque mereris Gambara laudem.

LAVREN-

LAVRENTII GAMBARÆ BRIXIANI PRECATIO AD DEVM.

ARGVMENTVM.

PRECATVR auctor Deum, vt sibi adsit res sacras scribenti iussu Alexandri Cardinalis Farnesij. Musas cum reliquis vanis numinibus à se abigit. Mox rogat Deum, vt tot impendentia nobis pericula auertat.



SVMME *Pater, qui tellurem, & superà alta creasti:*
Et Solem, & quicquid Sol spectat, cùm tenet oras

Ætheris, & terras radianti lampade lustrat:
Tu rege me, ignarumq́ viæ, rerumq́ sacrarum:
Vt laude insigni poßim super æthera ferre,
Qui CHRISTI *ob nomen pœnas subiere, necemq́:*
Teq́ mihi canere immensi da conditor orbis,
Vnigenamq́ tuum, & vestri modò numinis auram.
Tu verò insignis cantu, & testudine Dauid:
Et doctus res venturas prædicere, & ipsum
Carminibus laudare Deum: qui gurgite rubro
Immersit Pharias vnà cum rege phalangas:
Dilectumq́ sibi populum, qui iam mare siccis
Transierat pedibus, tuta seruauit in acta:
Adsis ô tua dum sequimur vestigia: quem iam
Versantem liquidi pecudes Iordanis ad amnem
Post varios rerum euentus, belliq́ labores
Aßiduos tandem regali in sede locauit.
Tu quoque Alexander Farnesi haud vltimus inter
Purpureos animi virtute, & sanguine patres,
Decurre hunc vnà mecum (tua iussa) laborem.
Qui non (vt quondam) nautas, victosq́ gigantes,
Venantesq́ viros siluis, Moschúmq́ Bionémq́,
Atq́ etiam mutata nouas in corpora formas:
Tradidimus rapidis quæ sponte poëmata flammis:
Sed templi media positus testudine carmen
Æterno meditor Patri, rerumq́ parenti.
Vos verò dilectæ olim secedite Nymphæ:
Cúmq́ tuis valeas calamis, ô semicaper Pan:
Fluminaq́ alta tuis valeant celebrata poëtis.

Et vestro, ô Musæ, comites vos addite Phœbo.
Non ope Pieridum indigeo, nec Apollinis aura:
Christus erit nostri columenq́, & carminis auctor:
Carminibusq́ deos, vatum de more, deasq́
(Quos gens prisca olim coluit, gens inscia recti)
Inseruisse meis vltrò me pœnitet: & tot
Otia me incassum quondam triuisse canendo.
Nunc veniam supplex oro: tu parce precanti
Ob nomen Pater alme tuum, culpamq́ remitte:
Atq; tui cape primitias, fructusq́ coloni:
Quod tota nunc mente petit, precibusq́ vocat te
Auxilio, pronúsq; tuas veneratur ad aras.
Ille tuo recipit solitum nam lumine lumen,
Quod prius occiderat: caliginéq; eripis atra
Clamantes ad te ex animo. nunc dirige nostras
Per pelagus Pater alme vias: da sistere portu
Naufraga vela, voléns q; tuo nos numine serua.
Namq; vides quantis terra, pelagóq; periclis
Undiq; iactemur fessi: scis quæ fera Galli
Bella gerant: quantósq; Britannia sæua tumultus
Concitet: vndantem Belgarum cæde nefanda
Vidimus Oceanum: populorúmq; arma potentum,
Bellatrix quos & diues Germania pascit:
Et passim Hesperio pinguescunt sanguine glebæ:
Pérq; vrbes Latias pestis sæuissima serpit.
Parte alia angusti feruet maris Hellesponti
Undá; & arenosum prætexunt mille triremes
Littus, & excidium nobis, stragémq; minantur,

 Dum

Dum Zephyri perflant auræ: tu Christe profundo has
Merge rates cùm proscindent freta feruida cursu:
Atque iter in Latium tendent, Gætuláue regna:
Nam canimus te præsidium, præsénsq; fuisse
Robur; in Ionio cùm ponto fregimus hostem;
Hostem animis nimium fidentem, & puppibus æreis:
Victorésq; domum, & læti spolia ampla, ducésq;
Rettulimus. da quod populus tuus insuper orat,
Et petit; vt posthac nunquam se iactet amarus
Nos pugnantem hostis terra vicisse, maríq;:
Dicat & insultans: Deus illos liquit, & vltrà
Illius non dextra tegit, nec pugnat; at omnem
Ismariam posthac primo in certamine classem,
Armáque, pugnantésq; viros vasto obrue ponto.
Instructæq; iuuent illum non mille biremes;
Bellantum non mille acies: sed victus in armis
Occumbat; tingátq; suo freta salsa cruore.

SANCTISS.

SANCTISS. D. N. GREGORIO XIII. PONTIFICI MAXIMO.

ARGVMENTVM.

SVMMO Pontifici gratulatur quòd in altissimo dignitatis gradu locatus sit.



PERLEGE *non dignum quamuis te Principe carmen,*
O ingens tutela hominum, & gratissima cælo
Progenies, nec non populis, qui iura sequuntur
Romana, æterniq; tenent mandata parentis;

Cui nunc cælicolûm rector conceßit habendum
Totius mundi imperium, & tibi tradidit vni,
Posse sua in terris vice fungi; quà rubet æquor,
Oceanum cùm Sol oritur, & quà cadit, & nos,
Et mundi hanc molem immensam sine luce relinquit.
Felix ista dies, qua te de more senatus
Purpureus, dubiis rebus dum consulit, vltro
Ad celsam tanto dignatum munere sedem
Deduxit; triplicémque auro gemmisque coronam
Imposuit capiti, & rerum tibi trādita summa est.
Respice nos pater alme, viam qui clarus Olympo
Affectas factis iam pridem ingentibus; & qui
Ad summum mercede tua succedis honorem.
Rex sub quo rediit Romana in septa, regit qui
Acres imperio populos, celsamque Pyrenen:
Ausonidum se tollit humo quo sospite virtus.
Nosque tuæ posthac pietatis imagine serua.
Nec pater omnipotens, nisi plenis te Deus annis
Gregorium cælo accipiat, lætumque reponat
Felices animas inter stellantis Olympi.
Interea dum tu placida moderaris habena
Alme pater, Petri turbata per æquora cymbam,
Fluctibus in mediis, quam Turca inuoluere tentat:
Regem oro æternum cæli submergat vt vndis
Æquoreis classem illius simul & tibi præstet
Commissam vt puppim tuta statione reponas.
Quæ te Rege minas Aquilonis non timet, irámque:
Ismariis nec perflantes de partibus Euros.

In mundi creationem.

ANTONIO CARAFÆ CARDINALI.

ARGVMENTVM.

CELEBRAT Dei Opt. Max. laudes, plurima admiranda eius opera enumerans.



DVM colis antiquam Troiani Antenoris vrbem,
Ingenuisq; operam das artibus, & monumenta
Sacrarum rerum euoluis, & scripta diserti
Nunc Theodoreti super aurea carmina Dauid

Sermonem in Latium transfers; imitatus & ipse
Ipsum te, hæc cecini numeris Carafa Latinis,
Egregium Graiæ, & Latiæ decus addite linguæ:
Vt videas me iam Phœbum, pariterq; Camœnas
Liquisse, atque animum sacris intendere rebus.
Quid cessas mea lingua Deum laudare potentem
Tantarum auctorem rerum, quas cernimus, & quas
Nemo humili sensu potis est comprendere, vitam
Dum trahit in terris alta caligine mersam?
Atque vtinam Dauid foret in me spiritus, & vis,
Vt digno te nunc celebrarem carmine, quamuis
Carmine non egeas nostro: tamen hæc tibi pauca
Pro multis referam meritis: namq; ipse quotannis
Humano generi victum, viresque ministras:
Fecistiq; globum Lunæ, Solemq;, domosq;
Æthereas, summiq; decus radiantia cæli
Sidera, & immensos tractus terræq;, marisque.
Nec miror, Pater omnipotens, cùm sis Deus, & cùm
Non alius præter te sit Deus. omnia namque
Tu solus potes, atque sedes in vertice Olympi,
Non picta indutus trabea, non murice, & auro,
Lumine sed claro longè tu effulgis amictus.
Ingens te circundat honos, & gloria miris
Laudibus, extendisq; velut tentoria cælum.
Ipse tegis superas sedes cælestibus vndis,
Atque tuos facis aligeros, Pater alme, ministros;
Cernere quos acies nequeat mortalis, & igni
Ardenti similes. Solido fundamine terram

Strauisti, quam perplexis anfractibus vnda
Oceani maris incingit, ceu vestis; & æquor
Stabit aquæ supra montes: quòd si tua virga
Vndas increpitet (tonitru quæ personat instar)
Attonitæ huc illuc fugient quò iusseris: & se
Continuò attollent summa in fastigia montes;
Subsidéntq; cauæ valles; sedémque tenebit
Quisque datam sibi; nec tumidus facto agmine pontus
Tellurem obducet stagnis, fluctúue tumenti.
Præcipitésque ruunt latices de vertice fontis,
Qui lapsi efficiunt riuos, riui alta fluenta
Saxosas inter longè resonantia valles:
Hinc onagri, & pecudes cum cornigero comitatu,
Vrsiq́, damæq́ bibunt; dumísq; volucres,
Arboreisue comis, exesæ aut ilicis aluo
Nidificant, resonántque nouo loca saxea cantu.
Insuper æstiuis exusta caloribus arua,
Ipsa tibi in pratis cùm pallida supplicat herba,
Tu pluuia solaris aqua, riuóque recenti:
Et paßim vario fœtu saturata tuorum
Terra operum campis siluestres educat herbas,
Et flores, quos detondent pecudésque, feræq́.
Dant agri frumenta, quibus nos pascimur, & dant
Dumosi colles oleas, vbi calculus asper
Plurimus est, quarum succo fit lætior ipsa
Ipsa hominis facies. Nascuntur collibus vuæ
Apricis, quarum dulcis liquor anxia curis
Corpora sint licet innumeris, lætißima reddit.

Nascitur & Libano procero vertice Cedrus,
Æstatis quæ non feruores horret, at altas
Attollit cœlo frondes, ceu veris in ortu,
Qua passer dulces nidos alit; ipsa Chelidris
Lethiferis hic præda domos sibi construit ales;
Vallibus & timidis sunt apta cubilia ceruis.
Hos etiam in montes recipit sese asper echinus,
Dum timet insidias hominum, & petit impiger antra.
Hic varia sese facie per inania cœli
Luna refert, noctem illustrans; cognoscit & ortus
Occasúsque suos Sol aureus, atque iter altum
Æthera per, sua dum præbet vaga lumina mundo.
At terras vbi Sol liquit, nox septa tenebris
Succedit, latebrísque feræ, quæ concaua siluis
Antra colunt, vallésque cauas, & frondea tecta
Prosiliunt, prædæq; auidus leo sanguine multo
Lætatur, quærítque fremens alimenta parente
A summo: sed cùm lux cœlo effulget aperto,
Antra feræ, siluásque petunt, solitísque cauernis
Se condunt, donec veniat nox furua tenebris.
Tunc mortale genus lecto consurgit auito;
Egreditúrque domo prima sub luce, suúmque
Inceptum non linquit opus, vaga lumina cœli
Accendat donec vesper, tenebrásque reducat.
Atque alius, qui rura colit, læta arua iuuencis
Præualidis pronus scindit, aut implicat vlmos
Vitibus, aut texit sepes, aut virgea septa
Caprigeno pecori suit, aut aluearia lento

Vimine

Vimine grata apibus, donec Sol cedat Olympo.
Quàm sunt ô manuum Pater alme opera alta tuarum
Augusta, & præclara; modis sunt condita miris
Omnia, quæ cælo subsunt, supráque relucent.
Quin etiam haud tantum fœcunda est vbere frugum
Munere terra tuo; verùm & maris vnda repleta est
Illo eodem dono, quo tellus: nam freta gentes
Squamigeræ ventosa tenent: hic nauita pontum
Audax puppe secat tumidum, nec flamina curat
Aspera, & aduerso venientes agmine fluctus.
Fecisti & cete, quæ temnunt monstra sub vndis
Omnia mole sua, quòd non sint viribus æquis.
Tot cæli volucres, & tot fera monstra profundi,
Tótque feræ siluas habitantes pabula quærunt
Apta sibi, quæ das semper largáque piáque
Ipse manu; terræ fructus, prædámque ministras.
Sed si fortè aliò te verteris, ilicet illis
Spiramenta animæ eripies, paßímque iacebunt
Exanimes stratæ in terram, in cinerémque solutæ.
Idem si cineri aspires, in prima redibunt
Corpora, quæ fuerant iam lethi addicta tenebris:
Vel noua formabis, facies erit & noua terræ.
Hoc igitur tam clarum opus, & mirabile semper
Ostendit tua iam virtus, qui concutis orbem
Terrarum solo aspectu, nutúque supremos
Si tangis leuiter montes, vallésue, repentè
Emittent trepidi conuexa ad sidera fumum.
Te solum laudare Deum me terra, fretúmque

Audiet, & cæli longè signa ardua; donec
Ingrediens terris vitali hac luce morabor,
Decedit cùm Sol, & cùm se tollit ad auras;
Inq; nouum tellus infusa luce colorem
Migrat, & obducta sese caligine soluit.
Atque vtinam mea vota tibi sint grata, meúmque
Carmen, vt æternùm poßim gaudere, Deum te
Has nostras audisse preces de vertice cæli.

In diem Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis.

AD HIERONYMVM GARIMBERTVM EPISCOPVM GALLESANVM.

ARGVMENTVM.

DEVS non immemor eorum, quæ Patribus nostris fuerat pollicitus; ministrum cælestem misit, qui Mariæ nunciaret, Diuinum verbum ex ea carnem, salua ipsius virginitate, susceptururm. cui iucundissimo nuncio illico, vbi Maria assensa est, Deum in vtero concepit.

VER



V ER *exat, & tepidos ducebant ſidera ſoles,*
Frondibus atque nouis ſeſe, viridique colore
Veſtibant nemora, & tellus lætata recentem
Ob partum, gremio flores, & gramina alebat:
Cùm Deus omnipotens verſans promiſſa ſub alto
Pectore, quæ dederat patribus, qui celſa colebant
Oppida Iudææ, & ripas Iordanis, & vrbes
Samariæ; cæli ſtatuit demittere ab arce
Æqualem ſibi progeniem. mora nulla, miniſter

Æterni qui ferre ſolet mandata parentis
Aſtitit, atque libens eadem data mente recondit.
Jlle igitur nitidum ſcindens gemmantibus alis
Æthera, deuenit Galilææ ad Virginis ædes
Exiguas: mox exequitur mandata, Mariámque
Alloquitur (quæ tunc vates de more legebat,
Regali quondam qui oriturum ſtirpe canebant
Dauidis intacto ex vtero, & ſine labe pudoris
Virginei infantem IESVM:) *Salue ætheris ingens*
Gloria: namque in te ſola eſt diffuſa parentis
Gratia: cæleſtis tecum eſt Deus. Illa repentè
Obſtupuit, dictis animum turbata loquentis
Talia; quæ ſecum dum mente euoluit, ab oris
Jnterpres miſſus cæli, ſic ora reſoluit:
Parce metu, Virgo ante alias accepta parenti
Æterno: tu concipies lætiſsima prolem
Ætheriam, nono paries quam menſe, vocabiſq;
Hunc IESVM, *qui magnus erit, ſummíque parentis*
Vnica dicetur proles, ſceptrúmque tenebit
Dauidis, inq; domo Jacob dominabitur, & non
Meta erit illius regni. Tunc aurea Virgo
Credidit hoc, dixitque: Viam tu effare, modúmque
Quo ſint hæc ventura mihi; téque inſuper oro,
Ne dubiam, incertámque tuo ſermone relinquas:
Nam mihi virginitas eſt cordi certa; Deo quam
Rectori quondam ipſa animóque, & mente ſacraui,
Paruula cùm primum rationis ſigna ſubirem.
Tum ſic veridico reſpondit nuncius ore:

Jlle

Ille superueniet cælestis Spiritus in te,
Atque te obumbrabit virtus diuina, tegétque
Fecundámque aluum (dictu mirabile) reddet.
Tunc Rex æiherius intra tua viscera sumet
Humanos artus, liquidásque exibit in auras
Virgineo ex vtero, Solymisque habitabit in oris.
Hæc tua progenies diuina vocabitur, alti,
Cælestisque Patris dilectus Filius: & nunc
Fert vtero promissam olim cognata virilem
Elisabet tua iam sobolem, procedit & illi
Inualidæ hic mensis sextus; quamquam illa sit æuo
Iam pridem confecta graui, sterilisque vocetur.
Nec mirum, ô Virgo; quia res nulla omnipotenti est
Ardua, difficilisque Deo, qui cuncta creauit
Ex nihilo: téque vllo etiam sine semine matrem
Efficiet. Tunc sic excepit regia Virgo:
En Domini sum ancilla humilis; qui misit ab oris
Te mihi sidereis: promissáque compleat in me
Ille idem. nec ferre notos magnum per inane
Hæc mea diuini permittat gaudia partus.
Tunc Patris æterni dilectæ in Virginis aluo
Vnica progenies mortales induit artus.
Hæc cecini his sacris, ô Garimberte, diebus,
Annua concelebrat dum templo festa, tenet qui
Æterni in terris Christi sedémque, locúmque.
Hic vbi erant quondam celeberrima templa Mineruæ
Ritè Palæstinæ sed nunc sacrata parenti,
Quæ genuit populis fontem pietatis IESVM,

Et nos vnanimes vnà cantabimus almæ
Virginis, & pariter matris, Hieronyme, laudes.

In Visitationem B. Mariæ virginis.

AD CÆSAREM GAMBARAM EPISCOPVM TERDONENSEM.

ARGVMENTVM.

BEATISSIMA virgo Maria, cùm ex cælesti nuncio cognouisset, Elisabet ætate iam graui, ac sterili concepisse; eam inuisit. Narrantur hîc, quæ Elisabet Spiritu sancto repleta, in Mariæ laudem dixerit: quæque ei Maria, omnia in Dei laudem conuertens, responderit.



DVM

DVM populum Terdonensem regis, optime Cæsar
Gambara; cui cura est sacrarum credita rerum,
Qui tibi commissas mala gramina pascere siluis
Non permittis oues, duce te, taxiue sub umbra
(Iria qua riguis fœcundat cursibus agros)
Ducere funerea somnos, precor accipe quæ nunc
Virginis in laudem cecini; supplexq; precari
Sis memor aßiduè Patrem, qui cuncta regitque,
Et fouet; ut longè strepitantia conterat arma
In nos Turca ferox cùm primùm castra mouebit.
Tuq; rates defende tuas, ô Christe, tua quæ
Bellantur pelago pro relligione, ruuntque
In sæua arma tuo pro nomine; nósq; gementes
Respice præteritas clades, venturáq; damna.
Intacta postquam sobolem concepit in aluo
Æthieream Virgo Solymis prælata puellis,
Atque magis dilecta Deo (qui eduxit ab oris
Hebræum Phariis populum, Pharaonis & arma
Immersit pelago) memor & quæ dixerat olim
Nuncius æterno cæli patre missus ab alto,
Decreuit celsós Iudææ ascendere montes,
Atq; ætate grauem cognatam inuisere: quæ tunc
Progeniem (mirùm) sterili gestabat in aluo;
Quam nunquam ob senium poterant sperare parentes.
Sicut enim magni lacrymas miseratus Abrami est,
Et sine pignoribus mæstæ connubia Saræ,
Ambobus Deus hæredem conceßit habendum:
Hoc illis ita permisit. castißima Virgo

Actutum comitante Deo: quem læta ferebat
Ipsa Maria utero, properans iuga celsa petiuit,
Elisabetq; ingressa domum, de more, salutat;
Atq; ubi iunxerunt dextras, collóq; dederunt
Brachia, tunc proles latitans sub ventre senili
Aduentum sensit Christi, exultauit & intra
Viscera, sed perflata fuit cum numine mater
Elisabet, nouítq; Dei mysteria, dixit:
O Virgo gentis Judææ haud gloria tantùm,
Sed cœli decus æternum! tu tecta subire
Es famulæ dignata tuæ; quæ ventre Deumq;,
Atq; hominem grauido portas sine labe pudoris
Amissi: at postquam rupisti pectore vocem,
Lætitia puer ingenti perfusus in aluo
Gestiit, atq; nouos sensi sub pectore motus.
Sed quoniam mandata Dei, quæ detulit alto
Aliger è cœlo iuuenis tibi, credidit ultrò
Mens tua, nil dubitans: omnes te laudibus olim
Astra super tollent gentes, quæ littus Eoum,
Hesperiúmque colunt, nec erunt dicta irrita Patris
Æterni, sed eris omni admirabilis æuo.
Tunc Virgo his dictis mentem lætata, animúmque,
Talibus ora modis soluit: O conditor alti
Ætheris, & terræ, meus hic te spiritus à te
Dependens cumulat laude, & iam numine plenus
Ipse tuo, longè exultat: quia mitis Olympo
Me Pater omnipotens humilem respexit ab alto.
Propterea dicent venientia secla beatam

Femineam

Femineam me ſtirpem inter: conceſsit enim rex
Magna potens mihi dona vltrò, ſanctumq́ue vocabunt
Perpetuò illius nomen: nec limite clauſa
Vllo erit illius pietas metuentibus ipſum.
Quin etiam faſtu, atque animis, vel diuite regno
Elatos dextra infernas detruſit ad vmbras.
Affluere atque humiles opibus dedit ille, & egenos
Haud aluit parco victu: dehinc reppulit auro,
Et latis dites fundis, promiſſáque voluens
Olim animo Patribus noſtris, ſobolíque futuræ.
Suſcepit populum cara de ſtirpe parentum,
Ducentem genus egregium. ſic fata morata eſt
Eliſabet laribus, ter Lunæ cornua donec
Orbe nouo coiëre ſimul, mox læta receſsit,
Atque viam carpens patrias deuenit ad ædes.

In natalem Christi.

AD IOANNEM MORONVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

CHRISTI, qui nobis viam ad cælum patefecit, natalem celebrat. deinde eum orat, vt nobis opituletur: Turcarum classem perdat.



PROGENIES *diuina nouem iam mensibus actis*
Prodiit in lucem Virginis ex vtero.
Hæc nox clara magis, quàm Sol cùm surgit, & orbem
Lustrat, & Eoi marmoris vnda nitet.

Lætantur


Lætantur cæli sublimia regna, nouumq́;
Diffundunt Solis lumina clara diem.
En sua pastores læti magalia linquunt,
Cælestésq; chori mystica sacra canunt.
Humano verum residet sub corpore numen,
Natalíque suo numina falsa fugat.
Hic puer est, quem venturum dixêre priores
Concordi vates carmine veridici.
Hic hominem patriis transcribit sedibus alti
Ætheris, atq; aperit lucida ad astra viam.
Per te igitur, matremq́; tuam nostras, precor, audi,
Quas tibi non ficto fundimus ore preces;
Turcarumq́; acies, & iam data vela per vndas
Sancte puer rapidis merge sub æquoribus.
Sic faciat Morone Deus, qui temperat oras
Ætherias, terræq; solum, & maria alta, suúmque
Ob numen ferat auxilium sulcantibus æquor
Turbatum, nobis miseris; animósq; potentum
Discordes nunc, accendat capere arma, tyrannúmq;
In nos Ismarium terra, pelagóque ruentem
Pellere in extremos tractus, quà currit Hydaspes,
Et quà gemmiferis Indus defertur arenis.
Hoc Pater omnipotens præsta mortalibus ipsum,
Qui te rite colunt, tua qui mandata facessunt.

In natalem Christi.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

IOSEPH cum Maria prægnante in Bethlehem venit: vt, ex edicto, nomen suum, ac familiam profiteretur. quo loco, incolumi virginitate, Maria Christum peperit. quem mox vicini pastores, cælesti nuncio moniti, adorauerunt.



NON *voco Pierides vos in mea carmina: namq;*
Sunt vobis ignota, meis quæ versibus edam.
Christus erit nostri princeps, & carminis auctor:

Quem

Quem tellus colit, & celsi plaga lucida cæli:
Quem semper pennata cohors circunuolat: & cui
Gaudentes plaudunt manibus cùm carmina dicunt.
Vos memorate manus Medeæ sanguine tinctas
Natorum, & fratris: certamina & impia fratrum,
Quos Thebana tulit tellus in luminis auras.
Ne nos quod canimus incestet fásq; piúmque
Musa suo celebrans inhonesto carmine laudes.
Tu verò nostri columen, rerúmque mearum
Præsidium Farnesi ingens, nunc perlege quæ iam
In Mariæ partum cecini: quæ sola Deumq́;
Atque hominem dedit in lucem: nostræq́; salutis
Auctorem certum peperit, rerúmque parentem.
Farnesi ipse igitur referam, te iudice, quem non
Tanta latent arcana: legis dum scripta sacrorum
Tot vatum, & voluis fidei fundamina nostræ.
Tendebat, cùm iam rediens bruma aspera montes,
Atq; vrbes, campósque simul nix alta tegebat,
In Bethlem Judæ sola cum coniuge Ioseph
Regali referens deductam à sanguine gentem.
Cyrino vtq́; suum nomen memoraret, & à quo
Principium ipsius soboles, noménque teneret.
Nam scribi Augustus populos mandauerat omnes:
Et pax æquoreos tractus, terrasq́; colebat.
Instarent sed cùm iam debita tempora partus
Virginei, atque locus tota non esset in vrbe
Ob gentem innumeram, quæ tunc properabat ad vrbem,
Imperio Augusti vt parens noménque, genúsque

Ederet ipſa ſuum. Subierunt protinus ambo
Deſertam, atq; humilem ſedem ingredientibus: hícque
Infantem Maria incolumi eſt enixa pudore:
Cùm medio curſu iam ſidera voluebantur;
Feſſáque carpebant dulces animalia ſomnos:
Quæ nemora alta colunt, ſeu ſtagna, maríſque profundi
Exeſas cautes: & agri, ſiluæq; ſilebant.
Vt rubus ille, foret quanquam circundatus igne
Ingenti: ſenior Moſes quem vidit ab vlla
Non tamen exuſtum flamma: ſic illa reluxit
Poſt partum incorrupta, nec vllum paſſa dolorem.
At poſtquàm puerum peperit caſtiſsima Virgo,
E ſummo lux clara polo demiſſa repleuit
Speluncam obſcuram, & cæcis nox atra fugatis
Effulſit tenebris, magè quàm ſi ſole recenti
Manè foret perfuſa nouo, circumq; canentum
Auditæ aligerûm voces, & plauſibus æther
Inſonuit, cælóque ignes micuere ſereno.
Tunc lætata nouo Galilæa puerpera partu,
Diuinum admirans puerili in pectore numen,
Infantem ſupplex ſubmiſſo poplite adorat;
Atque vlnis venerans puerum complectitur, inſitq;:
O ſalue humani generis ſpes ſola, ſalúſque,
Digne puer meliore loco: te non tenet aula,
Nec muros aulæa tegunt, non regia pubes
Te natum obſeruat regem, ſed naſceris antro,
Quo tener æthereas fudiſti in luminis auras
Vagitus primos pecora inter inertia, vilíque

Effultus stipula. totis quæ gaudia terris
Expectate dabis? quas grates ipsa rependam?
Duxisti qui nunc me tanto munere dignam,
Vt mater tua dicar, & vbera dem tibi nate,
Nate Deo, Deus ipse, poli cui regia paret.
Sic Virgo, vultum roseo suffusa rubore,
Auctorem peperisse suum lætatur: at ille,
Attollens oculos ad dulcia verba parentis,
In matris tacitum inspirat noua gaudia pectus.
Dúmque acies geminas admirabunda teneret
In puerum, humano sub corpore numen habentem
Diuinum, immensum referentémque ore parentem,
Assistit pennata cohors pastoribus alta
Arce poli demissa, canúntque per aëra cultos
Ore modos dulci, & magalia lumine multo
Pastorum lustrant, qui tempore noctis agebant
Excubias, pecudúmque greges, armenta supérque;
Pectoribus quorum terrorem iniecerat atras
Per noctis lux illa prius non visa tenebras;
Tótque chori aligerûm cæli per inania cantus
Edentes stabulum supra, quo læta latebat
Coniuge cum Maria alma suo. Cunctantur, & hærent
Pastores, trepidíque suis in ouilibus astant.
Vnus at illorum, cælo dum pendet in alto,
Balantum tali compellat voce magistros:
Ne vos pastores (inquit) timor vrgeat vllus:
Namque ego ab æthereæ sum missus nuncius arce,
Vt vobis (nec vana loquor) noua gaudia pandam.

Infantem Virgo peperit ſub paupere tecto
Sub noctem hanc mediam; quem tot cecinere viciſsim
Veridici vates venturum in luminis auras:
Qui genus humanum cæli deducet ad alta
Atria veſtrorum, & tollet commiſſa parentum:
Quique ſuum populum à tenebris mox transferet almam
In lucem, cælique domos, optatáque regna.
Ite alacres, tantóſq; metus deponite vos, ô
Paſtores, quibus eſt conceſſum cernere primùm
Virgineo ex vtero ad præſepia vilia natum
Regémque, genitúmque Deo, mortalia membra
Indutum, cùm ſit Deus immortalis. At illi
Torſerunt iter ad tanti cunabula Regis.
Vt venêre, vident diuini ſigna decoris
In puero, ſeniórque illorum verſus ad illos:
Hic puer eſt Deus, ô ſocij (nec fallor) ab alto
Deducens genus egregium mox lumina vertens
Ad matrem: Felix, inquit, Virgo inclyta; namque
Non vultus tibi mortalis, non greſſus; & ipſa
Non hominem tua vox ſonat, ô ſanctiſsima Virgo.
Nos quoque felices erimus, quibus ora tueri
Conceſsit Pater omnipotens ſub tegmine agreſti
Infantis, téque ante alios vidiſſe parentem,
Alipedúmque choros iuuenum aſpexiſſe, domúmque
Hanc humilem ſupra, patris, natique canentum
Certatim tantas non vno carmine laudes.
His dictis, humiles, lætique ex ordine flexo
Poplite adorarunt puerum, rerúmque parentem.

Sed

Sed cùm pallerent nondum vaga ſidera, ob ortus
Purpureos ſolis, rediere in virgea ſepta,
Sat notum per iter campis, lætique viciſsim
Perpetua æternum celebrabant laude parentem.

In Epiphaniam Domini.

AD ALEXANDRVM RVFINVM, HIERONYMI FILIVM ROMANVM, EPISCOPVM MELPHIENSEM.

ARGVMENTVM.

DICIT eo die tria contigiſſe miranda: & Chriſtum à Magis fuiſſe adoratum, & à Ioanne baptizatum, & aquam ab eo in nuptiis in vinum conuerſam. Deinde ad Magos rediens, dicit: Eos Chriſtum adoraturos veniſſe primùm Hieroſolymam: deinde ab Herode in Bethlehem miſſos: vbi Chriſtum & adorauerunt, & allatis muneribus donauerunt.

HÆC *Rufine dies ſummo eſt gratiſsima cælo,*
Qua canimus, Chriſtum ad præſepia vilia natum
Cum videre Magi, & puero ſua dona dederunt.
Quos ſtella Eois radians deduxit ab oris.
Hac ſua membra etiam Chriſtus Iordanis in vnda
Luce ſacra tingens, mortalia vulnera lauit,
Et primi remouens labem, culpámque parentis,
Humano generi cæleſtia regna recluſit.
Hac etiam conuertit aquas in vitea Chriſtus
Pocula conuiuas inter, tedáſque iugales.
Ipſe Magos referam ductos à ſidere ad vrbem,
Qua Chriſtum ediderat Virgo Galilæia partu.
Hac igitur noſtra labente ætate precemur
Cæleſtem Patrem vnanimes, vt nos quoque ducat

In cæli lætas sedes, vbi funeris atri
Expertes erimus cuncti, tristisq; senectæ:
Hic vbi plena Deo sunt omnia, & omnia luce
Incircumscripta fulgent, & gaudia sedes
Æthereas æterna tenent, vbi lumina nostra
Clauserit obscuram in noctem; sicut noua duxit
Stella Magos niger à terris, quas incolit Indus,
In terras, Galilæa, tuas, quibus edidit almam
Progeniem Virgo ante alias electa, Deóque
Grata magis: tu, quæ petimus, concede, nec vlla
Te moueant commissa, piis ast annue votis
Amborum, donec veniat meta vltima vitæ
Omnipotens hominum rector, rerúmque creator.
Hesperiis fama Eois, & didita terris
Detulerat regnatorem terræq;, marísque
Vitales hausisse auras prope fluminis vndam
Ante alias gratam gustu Iordanis amœni,
Tres liquere Magi multis comitantibus oras,
Exoriens Sol ante alias quas lumine primo
Illustrat, densásq; fugat per inane tenebras
(Non famam, ast veterum vatum monimenta secuti)
Qui rerum varios casus, & sidera norant;
Stella quibus monstrauit iter non cognita cælo
Effulgens, pueri venissent limina donec;
Parua quidem, sed quæ terræ, pontique tenerent
Hospitio Dominum regali ab origine natum.
Hi primum Solymorum arces venêre, tenebat
Quas tunc imperio nulli feritate secundus,

Agrestíque animo Herodes; ſedémque requirunt,
Qua ſuperas cæli Christus prodiret in auras.
Has verò vt ſpargi voces audiuit iniquus
Herodes, ſenſitq; noui incunabula regis;
Territus obſtupuit: mox in diuerſa trahebat
Infelix animum dubium: namque ille putabat
Limine ſe pelli nato ſub principe, quem tot
Venturum vates cecinere. Atq; hæc vbi ſecum
Euoluit, iubet ipſe Magos in celſa vocari
Atria Mygdoniis centum ſubnixa columnis:
Atque illos ſtatuens media teſtudine tecti:
Dicite vos, quæ cauſa viæ? quò tenditis? & quid
Quæritis his noſtris regionibus? inquit. At vnus
Illorum ſenior defigens lumina terræ,
Cunctatúſque moram exiguam facit, oráque contra
Suſtulit Herodem, breuitérque hæc edidit ore:
Non errore viæ, caſuue has venimus oras;
Stella viam è cælo nobis monſtrauit, & huc nos
Duxit, iter flammis ſignans, arcéſque ſuperbas.
Huc alacres animis ferimur, vatumq; ſacrorum
Veridicis olim dictis, & munere tanti
Sideris, vt regem liceat ſpectare potentem
Terrarum, cælíque Deum; quem tempore longo
Tot per terrarum tractus, tot perq; labores
Quærimus, vt meritos regi impendamus honores;
Donáque nobiſcum tulimus offerre parati
Huic puero. mora nulla, vocat clam in tecta tyrannus
Sacrarum rerum gnaros, templíque miniſtros;

Et

Et quærit, quibus ille puer naſcatur in oris,
Quem Chriſtum appellant vatum monimenta piorum.
Talia primores templi reſponſa dederunt:
In Bethlem naſci Chriſtum, ſit mœnibus illa
Parua licèt. tunc diſsimulans rex talibus infit:
O gens ante alias felix, quibus ora tueri
Conceſſum eſt nati regis, cui ſeruiet ingens
Orbis, & ætherei tractus, pelagúſq; profundum;
Atq; per innumeras deduci à ſidere terras!
Ite, agite, ô memores noſtri; veſtro mihi grata
Nuncia ferte precor reditu, lactentis vt almos
Conſpiciam pueri vultus, & lætus adorem,
Dignáque dona feram mecum. nec plura locutus;
Sed dextra, læuáque manu deduxit ad alta
Limina regalis tecti, nunc dulcibus illos
Colloquiis, & nunc promiſſo munere mulcens.
Vt liquere Magi regémque, domúmq; ſuperbam,
Ad Bethlem læti contendunt mœnia parua.
Tunc ſubitò emicuit ſtellæ iubar, atq; iter omne
Flammis ſignauit ſolitis, ad limina donec
Virginis aduenêre: ſuo nam præmia curſu
Stella micans monſtrabat iter; ſidúſque ſecuti
Optatum tenuere locum: nam conſtitit aſtrum
Virginei partus ſupra (mirabile) tectum.
Ingreſsíque domum diuinum numen adorant:
Et puero oſtendunt alacres ſua munera; & aurum
Dant regi; triſtémque homini dant munera myrrham;
Vt ſummo dant thura Deo. *tum nocte quietem*

Per

Per placidam admoniti è cælo, non iussa facessunt
Herodis; magno infantis tum numine freti,
Ad notas rediere, alio sed tramite, sedes.

In Magos.

AD THOMAM ALDOBRANDINVM FLORENTINVM, AB EPISTOLIS, QVAS BREVES APPELLANT, Pij V. Pont. Max.

ARGVMENTVM.

ROGAT felices illos Magos, vt quem ipsi infantem in agresti tecto viderunt; eo nobis in sublimi sede sedente ipsorum Virginisque matris precibus in cælo æternùm frui liceat.



E FELICES

FELICES ſaluete Magi, quos præuia cælo
Stella viam docuit magni ad præſepia regis,
Quem partu dedit in lucem Galilæia Virgo:
Non longe quà Jordanis ſacra voluitur vnda.
Vos oro, vt ſicut tecto vidiſtis agreſti
Infantem poſitum, vitæ, noſtræq; ſalutis
Auctorem, cui myrrham, aurúmque, & thura dediſtis
Vnanimes; pòſt ſublimi cùm ſede ſedebit,
Atq; tubæ totus clangore remugiet æther,
Confeſtímque animæ in ſua corpora prima redibunt,
Perpendet quas iudicio iuſtiſſimus acri,
Vnicuique ſuo pœnas pro crimine reddens,
Dignáque pro meritis perſoluens præmia iuſtis.
Sic olim liceat nobis hunc cernere eundem
Tranantem Solíſq; vias, cælíque tenentem
Atria, noſq; vna ſecum ſuper æthera tollat,
Et ſtatuat iuſti quà fulgent haud ſecus ac Sol,
Adiutos precibus veſtris, & Virginis almæ,
Quæ talem partum ſuperas effudit in auras.
Scripſimus hæc tibi pauca tuo dulciſſime iuſſu,
O Thoma; quæ non Muſæ, non ſuetus Apollo
Dictauit: ſed blanda Dei ſpirantis in aures
Aura meas, aura è cælo demiſſa ſereno.


In

In Purificationem B. Mariæ virginis.

AD IACOBVM SABELLVM CARDINALEM S^mi^. D. N. GREGORII XIII. VICARIVM.

ARGVMENTVM.

QVADRAGESIMO post Christi natalem die, Maria cum Ioseph abierunt in templum; vt, secundum legem, puerum Domino sisterent. Narrantur quæ Simeon optatissimo Christi aspectu recreatus dixerit.



NE *legere exiguum quamuis Iacobe laborem*
Hunc nostrum si fortè vacas à pondere rerum

Tantarum te nunc pigeat. dum crimina discis
Et vitas hominum, Romanáque templa reuisis
Diuersis à principibus commissa, locum qui
Atque vicem tenuere Petri, tu poplite flexo
Et supplex mecum pariter cane sacra Mariæ,
Infantem Christum genitrix dum sistit ad aram,
Quam scio te toto venerari pectore, & illam
In tua vota etiam dubiis accire periclis
Ante alios, qui tecta tenent sublimia cæli.
Sol quadraginta cursu peragrauerat orbes,
Adiutorem hominum postquam Galilæa Virgo
Edidit in lucem Christum, cum coniuge venit
Egregiam in Solymorum vrbem, non immemor vnquam
Hebrææ legis prisco de more iubentis
Infantes offerre pias cum munere ad aras:
Immunisq; foret quamuis ea muneris huius,
Maiorum veteres ritus tamen ipsa secuta est,
Atq; volens puerum ad sacratam detulit ædem.
Tunc Simeon Solymos inter quo iustior alter
Non erat, in templum diuino numine venit:
Qui iam confectus senio exhaustúsque labore,
Diuinæ aurai responsum acceperat, annis
Iam multis, non visurum se limina lethi,
Non toruam mortis faciem, nisi cerneret olim
Illum, quem toties vates cecinêre, per annos
Præteritos Christum Domini, *quæ pectore secum*
Cuncta volutabat recolens noctésq; diésq;,
Aduentum Christi spatiis instare propinquis.

Vt

Ut verò ingressus templum est, viditq; Mariam,
Quæ solo comitata viro sacram super aram
Ponebat geminos pullos de more columbæ;
Continuò agnouit Christum, latéque frequenti
Exultans plausu puerum est veneratus, & vlnis
Infantem accipiens, atq; oscula plurima libans,
Atque hilari exclamans has fudit pectore voces:
Aduenit promissa dies lætißima seruo
Magne pater, qua tu Dominus *me compede vinctum*
Iam pridem dura, in pacem placidámque quietem
Dimittas; tu scis quoniam sat viximus, atque
Exactos fragilis vitæ protraximus annos:
Namq; tuum lumen viderunt nostra salubre
Lumina, cùm natum populis & gentibus illud,
Quæ votis petiere olim, Israëlis vt ingens
Cuncta per ora virûm volitet felicibus alis
Gloria, & excursu percurrat littus vtrumque.
Hæc vbi longæuus Simeon pia carmina dixit,
Ipse Deo dignas persoluit pectore grates.

Fuga Christi in Ægyptum, eiúsque reditus.

AD FVLVIVM VRSINVM IVLII FILIVM, EPISCOPVM SPOLETINVM.

ARGVMENTVM.

POSTEAQVAM Ioseph cum Christo & matre in Ægyptum profectus est, Herodes misit qui occiderent pueros, qui in Bethlehem & in eius finibus erant. quo impio rege extincto, Ioseph cum Maria & puero in Israël regressus, habitauit in Nazaret.



NVNC *quoniam nos haud comitari ad fertilis oras*
Tendentem Ægypti Christum cum matre, Josephúmque
Herodis

Herodis fugeret dum sæui irásque, minásque
Possumus; his vna saltem celebrabimus illos
Carminibus, Fului Vrsine, Fului optime, nostris;
Dum tu pascis oues, tibi quas commisit alendas
Christus in herbosis campis, quos irrigat vnda
Clitumnus formosus aquis, ripáq; virenti:
Quæ duce te primásq; niues, & prima ligustra
Exsuperant candore suo; securáque carpunt
Gramina; non aconita graui perfusa veneno,
Non fontes cœno obductos, lymphámque palustrem;
Sed liquidos potant riuos, aut flumina viua.
Atq; vtinam nobis summi concedat Olympi
Rex, vt poßimus præconia digna referre,
Et meritas illi laudes, & reddere vota.
Æterni qui ferre solet mandata parentis
Alatus iuuenis Josepho apparuit altum
Per somnum, cùm cuncta silent, tacitísq; quiescunt
In siluis, stabulísque feræ, carpítque soporem
Optatum mortale genus; mox talibus infit:
Surge age, & actutum per amica silentia noctis
Carpe viam Ægyptum versus, atq; accipe tecum
Et puerum, & pueri matrem: namque hora propinquat
Qua rex Herodes nulli feritate secundus
Bethlemiis nuper natum perquirat in oris,
Inuentum vt perimat gladio; versátque sub alto
Pectore nunc, puerum poßit quibus artibus ipsum
Perdere: sed celerans vrbem fuge. Dixit, & olli
Iniecit desiderium sua linquere tecta,

Exilióque

Exilióque suas sedes mutare, domúmque.
Nec mora, cùm summo fulgerent sidera cælo,
Vrbe est Bethlemia egressus cum coniuge Ioseph,
Et puero, trepidánsq; Ægyptia regna petebat.
Interea infantes teneros mandarat iniquus
(Quos inter natum ipse suum quoq; perdere iussit,
Ne fletu, aut precibus foret exorabilis vlli)
Occîdi Herodes, vrbis qui tecta colebant
Bethlemiæ, & fines circum: sed tenderet oras
Dum Pharias Ioseph recolens mandata parentis
Cum matre, atq; eius puero; iam maximus alta
Sidera pulsabat clamor sublatus ad auras
Femineum ob sonitum paßim per tecta, viásq;.
Sed sine quis posset lacrymis, gemitúque referre
Hoc immane nefas, infandúmque? æthera matres
Altum incendebant vlulatibus: illa capillos
Vnguibus; illa genas scindebat: pars sua pugnis
Pectora tundebant: pars multo sparsa cruore
Infantum perimi ferro per corpus adacto
Optabant, sociásq; suis sese addere natis.
Tantus erat clamor tota ingeminatus in vrbe.
Herodes post tot scelera exitialia, tandem
Crudeli occubuit morbo; qui fásq;, piúmque,
Subiecit semper pedibus, dum viueret, & qui
Nil nisi per noctem facinus crudele, diésque
Versabat mente, atq; animo; non sæuius illo
Vllum animal tellus aluit, non æquora ponti.
Quiq; etiam, cùm vitam ipsam exhalaret in auras,

Urbis primores occidi iuſsit, vt omnis
Mæſta domus foret ob cladem, cædéſq; ſuorum,
Nec poſſent trepidi ciues gaudere ſuam tunc
Ob mortem, aſt eſſent intenti ducere pompas
Funereas, & flere ſuos, & condere terra:
Humani ſitiens adeò fuit ille cruoris.
Tunc Pater æthereî rex, & dominator Olympi,
Aligerum iuuenem cæli demiſit ab arce
Confeſtim ad Ioſeph, qui tunc velut exſul ab oris
Longè aberat patriis, Ægyptiáque arua colebat.
Vade age, & hæc, inquit, defer mea iuſſa per auras;
Et dic Ioſepho, vt redeat, ſecúmque reducat
Cum puero matrem in patriam; quoniam furor, omniſque
Ira illaudati regis conceſsit; & vltrà
Ne timeat tenebroſa tenent quem Tartara regem
Illius egregia ob merita, præclaraq́; facta,
Enſe mihi æqualem prolem qui perdere ferro
Quærebat. Secuit ſubito celer ille volatu
Obſcuræ noctis tenebras, ſedémque petiuit
Ioſephi, qui tunc ſtratis in vilibus altum
Ducebat ſomnum; fert & mandata parentis
Æterni. coniux conſurgens brachia tendit
Ad cælum afflatus cæleſti, atq; excitus aura:
Atq; Deo grates agit, enarrátque parenti
Somnia; & accipiens puerum cum matre, reliquit
Ægypti externam ſedem, in patriamq́; refert ſe.
Iamq́; Palæſtinæ reduces confinia terræ
Contigerant; paſsim cùm didita fama ferebat,

 Archelaum

Archelaum regem patriis considere regnis,
Et premere imperio Judæam. substitit, atque
Permetuit; Pater omnipotens solatus at illum est.
Qui somno admonitus Galilæa vertit ad oras
Lætus iter, tenuítque viam cum coniuge ad vrbem
Nazareth, & multos ibi vixit duriter annos.

Innocentum cædes.

AD HIPPOLYTVM ALDOBRANDINVM AVDITOREM ROTAE.

HIPPOLYTE, *euoluis dum sacra volumina legum,*
Nostri pars animi non parua; en accipe carmen
Iam toties tibi promissum, defensor, amansq́;
Iustitiæ, & recti columen. tu perlege, quæ iam
Dixerunt miseræ natorum in funere matres:
Quos frustra ferus, & nulli impietate secundus
Herodes iussit violento occumbere ferro.

ARGVMENTVM.

MAXIMAM quidem lætitiam attulit Christi natalis cælitibus: at ingentem luctum matribus, quæ Bethleem eiúsque fines incolebant. illorum enim infantum occisio, tanquam victima Christo infanti pro nobis occidendo debebatur. Deplorat auctor eorum necem: refértque varias diuersarum matrum querimonias, miserabiles illas quidem, sed tamen lectu iucundas.



LÆTITIA *perfusus erat sublimis Olympus,*
Et chorus alatus iuuenum cælestibus oris
Exultans latè natumq; patremq; canebant,
Cùm Maria enixa est vitæ, nostræq; salutis
Auctorem Christum: sed luctus matribus ingens
Illis indictus, Bethlem quæ tecta colebant,
Et fines: nam rex cæli in sua regna vocabat
Illarum pueros. hæc olim sacra futuro
Debita erant agno; qui labem sanguine fuso

 Tolleret

Tolleret antiquam nostrorum ob prima parentum
Crimina. (proh dirum facinus!) per compita nati,
Pérque domos cecidêre, velut concisa bidentum
Corpora, Iudæi faciunt dum sacra parenti
Æterno, magnum exitium, spectacula sæua,
Sed neque visa prius, sceleratus stringitur ensis
Lethifer: inde cruor latè æstuat, & tamen illi,
Quem quærit rex Herodes malè perdere, nullam
Vim tulit: at matres flauos per colla capillos
Discerpunt, crebrísq; implent vlulatibus auras;
Et miseræ quantum quærebant condere natos
Infantes gremio, tantum quoque tendere contra
Districtos gladios illi, vultuq; feroces
Horribili intentare necem. vagitus ad auras
Vndiq; sublimis fertur per inania cælo,
Milite cum forti pugnamq; edebat iniquam;
Nec pugnæ poterat natum subducere mater.
Ille trahebat atrox infantem, ast illa tenebat
Cunctorum auxilium implorans hominumq;, Patrísque
Æterni, atq; oculos lacrymis rorabat amaris,
Sæue, petis, dicens, rigido mea viscera ferro,
Seruaui quæ non tales ego mater in vsus.
Lac frustrà tibi nate dedi, solatia quondam,
Nunc matri miseræ dolor ingens. ô vbi vultus
Siderei, nec non præstantis gratia formæ!
In Libyæ syrtes tulerunt mea gaudia venti.
Nunc ego te tantis confossum corpora cerno
Vulneribus: quid nunc restat mihi? nil nisi luctus,

Nil nisi & æternus dolor: hæc tua vulnera semper
Hærebunt animo, cædésq; hæc facta per oras
Bethlemias, donec veniat meta vltima vitæ.
Ast alia has voces lacrymis dabat intermixtis:
Vnum tu miles tantum scelerate requiris,
Qui puer est, vnúsque, & iter quò verterit, & quæ
Tecta colat; nescis & adhuc reperire, nec illum
Illum vnum haud vnquam poteris: sed nunc tamen omnes
Das letho, tua prospiciunt quos lumina natos.
Quem genui, ad terram illidis, nec commouet vlla
Te pietas, matrísque dolor. dicebat & illa,
Sæue manum abstineas: non est hæc victima magno
Sueta Deo *offerri; non hæc sollennia templo:*
At venia est ætas pueri dignissima; non hic
Promeruit sic occîdi sæuissime miles.
Desine arenosis committere semina sulcis.
Quid flores nuper natos succidis? & illos
Sub pedibus teris, atq; hortorum euellis honores?
Mæsta parens alia hæc lacrymis dicebat obortis:
Ense tuo miseræ pectus transfige volentis,
Si mea culpa necis causa est: namque hæc mea vita
Est inuisa mihi, nato moriente, superstes.
Ipse tuas maculare manus rex sanguine nostro
Immeritò iussit: crudelis tu quoq; miles.
Crudelis num tu magis? an rex impius ille?
Impius ille quidem est, crudelis tu quoque miles.
Ast alia infelix tollebat ad æthera vocem:
Sancte veni, puer è cælo demisse supremo,

Veridici vates quem prædixere, diu iam
Venturum; & te ostende palàm, téque ipse videndum
Da turbæ huic, quæ te non cessat quærere; namque
Te viso cadet ad terram, suaq; arma reponet:
Incutiet tibi nec quisquam per membra timorem;
At pacem orabunt cuncti, & sua brachia tendent.
Sit satis effusus natorum sanguis ad auras.
Terra erat infantum largo tepefacta cruore,
Et matrum pariter luctu tepefacta gementum:
Illarum namq; ex oculis lacrymæq; fluebant,
Et via inundabat puerorum sanguine multo.

In Innocentes.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

CELEBRAT beatos illos pueros, qui primi pro Christo sanguinem fudere: deinde inuehitur in Herodem, quem dicit apud inferos tantæ impietatis pœnas luere. deinde per eorum necem Christum obsecrat, vt impendentia à nobis pericula propulset. Postremò sanctis pueris familiam Farnesiam commendat.

SALVETE *ætherei flores, quorum haud vagus imber,*
Non ros nocturnus, non in conualle virenti
Vmbra olim eduxit cælo capita alta sereno:
Sanguine sed vestro perfusi, prima tulistis
Præmia, & ante alios primos meruistis honores.
Vos Pater omnipotens pro Christi nomine mortem
Oppetere elegit, cælique ascendere sedes.
Vos olim ornastis siluas, & prata colore
Purpureo; cui Narcissus, cui purpura cedit;

Limina



Limina nunc, celsiq́ domos decoratis Olympi,
Et superi vestris incingunt tempora sertis.
Vos quoque felices matres, quibus edere fœtus
Hos licuit, superis gratos, summóque parenti.
Tu verò infernis proles emissa latebris
Herodes, hoc ause nefas tam triste, iaces nunc
Infelix sontes inter, scelerúmque phalangas:
Hic vbi Sol non luce noua, non Luna tenebras
Depellunt, vbi flamma vorax, & viua per vmbras

Nigrantes Barathri tetrum dant sulfura odorem.
At pueri insontes animæ, & felicia cæli
Agmina, celsa colunt latè fulgentis Olympi
Atria, sidereásque domos, lætóque fruuntur
Æterni Patris aspectu, téque aspra ferentem
Supplicia aspiciunt, & regna obscura tenentem,
Et sumit de te sceleratas impia pœnas
Gens olim depulsa polo omnipotentis ob iram,
Cùm primas cæli sedes, & Patris honorem
Posceret æterni. quam tunc detrusit ad oras
Dextra Tartareas, & cælo corruit alto.
Suppliciter proni ante aram te Christe precamur
Infantum pro vagitu, pro sanguine fuso,
Ut nos iactatos tantarum in turbine rerum,
Atque inter sæui funesta pericula belli
Defendas pietate tua: namq; arida tanquam
Nubila nos erimus sine te, quæ flatibus acta
Huc illuc Boreæ magnum per inane feruntur;
Et tanquam sine luce dies, sine frugibus agri.
Interea illustres animæ, Farnesia vestro
Tuta domus sit præsidio; quæ pectore toto
Vos colit obseruátque, & multa cum prece supplex
Accumulat sacras donis ingentibus aras.

In

In Ieiunium Christi.

AD ANTONIVM PERENOTTVM GRANVELLANVM CARD.

ARGVMENTVM.

QVADRAGENORVM dierum ieiunium à Patribus institutum, originem ducere ait à Christi ieiunio, quo ipse post baptismum in locis solis laborauit. Deinde sub Antonij Cardinalis persona orat Christum, ne se in incerto hoc vitæ curriculo deserat.



INSTITVERE *patres sancti ieiunia quondam,*
Qui Christi tenuere locum, quà Sol cadit, & quà
Tollit se, illius vestigia fida secuti.

Ipse etenim petiit nemora aspera, & inuia, pérque
Quadraginta dies expers potúsq; cibique
Vixit ibi solus inter caua saxa ferarum.
Postquam artus sacros Iordanis tinxit in amne,
Findit Idumæos placidis qui cursibus agros,
Gemmanti Gange, atq; ipso felicior Hermo,
Ardentes quamuis auro deuoluat arenas.
Namque suis artus meruit contingere lymphis
Illius, summa è cæli qui venerat arce.
Tu verò, mea sit fragilis cùm vita, meíque
Meta incerta obitus, operum da Christe tuorum
Partem aliquam me posse sequi, paritérque laborum.
Tuq; idem spes certa hominum, rerúmque potens rex,
Atque tui Patris æterni mirabile lumen,
Aspice me, Antoníque tui nunc dirige gressus:
Nam felix est ille, tuo quem Christe tueris
Præsidio, non humanos qui quærit honores,
Non magnas Orientis opes, aurúmque potentum,
Sed ponit spem certam in te Dominóque Deóque.
Próque tuis in me meritis, te laudibus vnum
Prosequar, vt teneor, nec erit nox vlla, diésque,
In qua non referam meritas ante omnia grates,
Dum reget hos artus cæli spirabilis aura.

In

In Transfigurationem Domini nostri Iesu Christi.

AD FRANCISCVM ALCIATVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

DVM Christus in vertice montis Thabor Petro, Iacobo, & Ioanne præsentibus oraret, eius facies Solis instar reluxit: vestimentáque niue candidiora apparuere: tum vox summi Patris è cælo audita est, dicentis, Christum dilectum sibi Filium, eúmque audiendum.



TOT subeas Francisce licet nunc publica Romæ
Munera, & innumeros sacra pro sede labores
Gregorio sub, qui Christi sedémque, locúmque

Terrarum in toto orbe tenet: tamen hos lege versus
Quamuis incomptos; interdum & mitte frequentem,
Undantémque hominum turbam, téq; eripe, téque
Collige, feruoréſq; æſtatis falle legendo
Hos tenues verſus, ô recti aſſertor, & æqui,
Candide & interpres legum, rerumq́; ſacrarum
Inter odoratos flores, quos educat aura,
Aura Quirinali veniens è colle propinquo.
Eſt felix regio, patiens & vomeris vnci,
Commodaq́; armentis, & aquis vberrima; cui cùm
Sirius attollit ſeſe, & latè ingruit agris
Feruidus, & ſciſſa palleſcunt gramina terra,
Non deſunt fontes, inductaq́; flumina campis.
Cùm per Iudæam, & felicem Chriſtus Idumen,
Atque Palæſtinam diuini ſemina verbi
Spargeret, & morbis afflictos redderet ægros
Incolumes, & ſpiritibus correpta malignis
Corpora ſanaret verbo, frugúmque referret
Non partem exiguam verbi de ſemine iacto;
Ad Thabor montis radices venit, ibique
Subſtitit, & greſſus tenuit, ſociiſq; relictis
Aſcendit montem Petro comitante, vices qui
Poſt mortem illius tenuit, ſedémque, locúmque:
Sunt etiam gemini fratres ad celſa ſecuti
Culmina frondoſi montis, Zebedæia coniux
Quos olim partu effudit: ſed cùm iuga montis
Aſcenſu aërij ſuperaſſent, vertice Chriſtus
Conſtitit, & cælo palmas vtraſque tetendit,

Effuditq;

Effuditque preces magno, de more, parenti.
Dum verò oraret, lux cælo effulsit ab alto,
Atque infusa nemus latebrosum clara retexit.
Ipse autem effulgens mutato apparuit ore
Christus, & aspectu patuit Deus; instar erat nam
Illius facies Solis cùm surgit, & almum
Pulsa nocte diem secum vehit, & fugat astra:
Quiq; sacrum tenuis corpus vestibat amictus,
Sithonias candore niues anteibat, ob ipsum
Splendorem immensum manantem è corpore Christi.
Quin etiam gemini heroës, quorum vnus ab oris
Ægypti Hebræum populum pede per freta sicco
Duxit ad oppositum littus, desertáque regna,
Cui statuit leges: Alter cui cælicolûm rex
Scire futura dedit, quem portauêre quadrigæ
Ardentes celsam in sedem radiantis Olympi,
Mira apparebant hîc maiestate verendi.
Stabat & in medio illorum sublimis IESVS.
Dum verò inter se loquerentur de nece Christi,
Quæq; Hierosolymis illum subeunda manerent
Supplicia insontem; dum Patris iussa facessit;
Intenta Petrus perceperat aure magistri
Funera dira sui, & Dominum *miseratus acerbam*
Ipsius ob mortem, sic inquit: Christe morari
Hoc nobis in monte bonum est; patiare precor te
Nunc ternas fabricare domos hoc culmine montis;
Quarum prima tibi dabitur, Mosiq; secunda,
Tertia & Eliæ Thesbitæ cedet, & altis

His liceat nobis vitam producere ſiluis.
Dum Petrus loquitur, cælo delapſa ſereno
Fulgida per tenues nubes apparuit auras,
Mortales illorum oculos, & pectora inumbrans:
Et ſubitò vox eſt è clara reddita nube:
Filius hic meus eſt, atque indubitata propago;
Et mihi ab æterno ſemper dilectus, & in quo
Complacui mihi: vos gentes, quæ littus vtrumque
Incolitis, ſolum hunc terris audite, nec vllum
Vllum alium. Vocem hanc comites hauſère, metúque
In facies cecidere ſuas: dehinc ille timore
Concuſſos adiit, tetigítque, & talibus infit:
Surgite, nec pauor vlteriùs vos occupet vllus.
Tunc læti ſurgunt, oculos per cuncta ferentes,
Luſtrantéſq; caui montis latera ardua circùm,
Non vllum videre virum, ſed vertice tantùm
Aërij montis Chriſtum: nam ferre nitorem
Ingentem nubis, ſparſámq; per aëra vocem
Illorum haud poterant ſenſus: dehinc Chriſtus ab alto
Cum ſociis vnà deſcendens monte per vmbras
Arboreas, iuſsit, ne viſa, auditáque in ipſo
Nuper monte palàm facerent mortalibus vllis,
Inferna donec ſurgens à ſede rediret
Poſt ternos Chriſtus ſoles, & victor Auerni
Indutus ſpoliis ſuperas remearet ad auras.

AD ASCANIVM SALIMBENVM VITERBIENSEM IVRISCONSVLTVM.

ARGVMENTVM.

CHRISTVS Hierosolymam voluptatibus deditam defleuit; vt in maximum excidium non multo pòst incursuram.



CHRISTVS *oliuiferi peteret cùm culmina montis,*
Bissenis illum sociis comitantibus vrbem
In Solymam, quæ tum dixit, cùm cerneret illam
Delicias inter, choreis epulisque vacantem,
Salimbene, audi, dum frigida Caprarolæ

Tecta

Tecta colis, loca Farnesio gratissima, cùm Sol
Feruet, & arescunt siccis iam faucibus amnes.
Venerat alma dies, proprio qua sanguine Christus
Humanum genus à noxa, barathríque profundo
Eriperet, remouens veteris contagia culpæ;
Qui Marthæ vt fratrem superas reuocauit ad oras,
Bissenis adiit sociis comitantibus vrbem
Hierusalem, sibi quos testes, sociósq; laborum
Delegit: sed cùm lassus frondosa subiret
Culmina oliuiferi montis, & cerneret vrbem,
Vrbem præclaram ante alias, opibúsque potentem,
Atque frequentantem positis conuiuia mensis,
Et festa lætas agitantem luce choreas;
Constitit illacrymans, rupítque hanc pectore vocem:
Hierusalem infelix, nescis tempúsque, meúmque
Aduentum; quo tuta fores, & libera ab omni
Pernicie hostili, funesta & cæde tuorum;
Ecce tibi veniet multis adoperta tenebris
Improuisa dies, quæ te, & tua mœnia latè
Euertet; tum strata solo tua tecta iacebunt:
Hierusalem longè infelix, quæ pœna manet te
Aspera, crudelisq;, tamen tibi debita; quam non
Effugies, misera ante alias: est namq; securis
Arboris ad radicem altam; quam sternere multis
Vulneribus parat ad terram, mox tradere flammis.
Ah quoties volui, si non heu læua fuisses,
Ipse tuos natos tegere, atque fouere sub alis,
Vt paruos gallina suos solet anxia pullos.


Ecce cades oblita Deum, cædésq; tuorum
Ante oculos, stragémque hominum, excidiúmque videbis
Vrbísque, templique tui: sed tu quoque tela
Inter, & arma virûm pugnantum, & corpora cæsa
Strata cades: tanto nec tempora longa supersunt
Excidio: ruet ignis edax tua mœnia, & vrbem
In cineres vertet: nec non pars ipsa superstes
Ærumnis, bellóque, alias ducetur in oras,
Seruiet atque aliis dominis. tua dextera quem non
Vatibus è sacris ferro est aggressa? dedítque
Horribili letho? & tellus madefacta cruore est
Innocuo. Tu non vltrà dominaberis; Eheu,
Heu Solyma infelix; qua nulla beatior antè
Vrbs fuit; æterno neque gratior vlla parenti:
Tu seruas patrios mores; tu me quoque quæris
Perdere nunc, post tot languentia membra saluti
Reddita, signa etiam post tot manifesta per oras
Iudæas; quæ tu vidisti ingrata: dabis sed
Ob mentem læuam ipsa acri sub iudice pœnam.
Dixit, & ingressus multis comitantibus vrbem est.

In Christum in cruce pendentem.

AD LÆVINVM TORRENTIVM ARCHIDIACONVM LEODIENSEM.

ARGVMENTVM.

DEPLORAT Christi mortem; enumerátque prodigia quæ in ea facta sunt.



TRISTIA *mortales vnà vos dicite mecum*
Carmina, funereisque intendite frondibus aras:
Nam venit lugenda dies, qua purpureus Sol
Occuluit nitidos picea caligine vultus,
Et mundi hanc molem immensam sine luce reliquit;

Inq; duas partes (visu mirabile) velum
Ingentis templi scissum est, discissáque multis
Saxa locis, vitáque etiam defuncta piorum
Corpora multa Patrum tumulis inclusa paternis
Ad superas rediere auras: tellúsq; repentè
Illo eodem tremuit moriente inspersa cruore
Expirantis heri, sacro dum sanguine cernit
Concretos crines, & apertum pectus acuta
Cuspide, & ex spinis regem noua serta gerentem.
Te nunc ad lacrymas, téque ad suspiria crebra
Torrenti Læuine voco, cane tristia mecum
Carmina ob immeritam mortem pendentis IESV
In cruce; & alternis modulans tua pectora dextra
Tunde manu; Christiq; alta super arbore vtrasque
Palmas, affixósq; pedes precor aspice ferro,
Et madidum in pectus pendens caput: aspice sacrum
Sanguine respersum mixto cum puluere corpus.
Nos proni ante tuam multis cum fletibus aram
Christe te adoramus sub sextæ tempora lucis.
Tu nostras dignare preces audire, tuósque
Ærumnis mersos tantis, rerúmq; tumultu
Ingenti, varióque: premit nam Thracius hostis,
Hinc, illinc effræna virûm gens, quæ colit oras,
Quas Aquilo tundit spirans strepitantibus alis.
Te, Læuine, Deus patrias perducat ad oras
Incolumem, sempérque regat: te lucida donec
Tecta tua fabricata manu, sedésq; tenebunt.
Nec dubita, non te linquet Galilæia Virgo,

Cuius tu æthereos cecinisti Virginis ortus,
Vitámque, & sanctos obitus, superísque receptam
Sedibus ad dextram nati, magníque parentis.

In Christi resurrectionem.

AD GERARDVM EPISCOPVM LEODIENSEM.

ARGVMENTVM.

CELEBRAT diem quo Christus post Patres ex inferis eductos resurrexit, Narrátque multis argumentis Christum resurrectionem suam declarasse.



O SALVE

O SALVE *ante alias anni ver pulchrius horas,*
Dignius & vatum cantu super æthera ferri.
Te veniente etenim mortales induit artus
Christus, & occubuit ligno, victórque sepulchro
Manè resurrexit, cùm tertia fulsit Olympo
Orta dies; túque ipsa etiam pulcherrima, nec non
Admiranda dies, licuit cui cernere victa
Morte resurgentem Christum. vos plaudite cuncti
Mortales; illum celebrent volucrésq; feræq;,
Et quæ cæruleis pontus fert monstra sub vndis.
Túque diem qui Sol perfundis lumine; túque
Quæ noctem Luna illustras, vos astra, choríque
Cælestes laudate Deum: cùm regna patescant
Inuia, descendente Deo (nam sede parentes
Inferna positos Pater est miseratus ab alto)
Quorum animas ille inuisit, quas carcere vasto
(Pœnarum tamen immunes) spatiosa tenebat
Tunc regio, & latè densis obducta tenebris.
Postquam autem superas remeauit Christus ad auras,
Sæpe & palmiferis Galilææ apparuit oris,
Et tecti intrauit foribus penetralia clausis,
Vulneraq; ostendit, ligno perpessus in alto
Quæ fuerat, sociis vndenis, & iubet illos
Tangere corporeos artus, non corporis vmbram.
Illum accumbentem mensis videre, loquentémque
Vt prius æthereas cùm cæli carperet auras;
Namq; cibos vnà sumpsit stagnantis ad vndam
Genesareth, assos pisces, hyblæaq; mella

Cum sociis, seq; esse Deum confessus in acta est.
Vidit eum genitrix, comites videre parentis,
Quæ Christi vacuum primæ aspexere sepulcrum,
Et iuuenem niuea fulgentem in veste, sedentémque
Ad tumuli caput, & referentem viuere Christum.
Tu verò Pater omnipotens, qui corda precantum
Aspicis, & fusis precibus placaris, & omnes
Turbine deprensos Libycis in Syrtibus audis,
Nos audi, famulúmque, sacra quem sede locasti.

In Ascensionem Domini.



AD ANTONIVM PERENOTTVM GRANVELLANVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

CHRISTVS quadragesimo post resurrectionem suam die in monte Oliueti, cunctis videntibus discipulis, se in cælum sustulit: ducens secum Patres, quos ex inferis eduxerat. Describitur & ingens beatorum omnium spirituum illi occurrentium lætitia.

CHRISTVS *ubi superas cœli remeauit ad oras,*
Infernásque domos, & tartara nigra reliquit,
Ille quater denos per soles Patribus olim,
Quos vltrò elegit, Galilææ est visus in oris,
Atque super regno cœlesti est multa locutus.
Deinde ad Oliueti montem contendit, & illuc
Ad sese consanguineos, sociósq; vocauit,
Dilectamq; simul matrem, comitésq; parentis:
Æthereas vnde ad sedes radiantis Olympi
Ascensurus erat coràm, cœlóq; locandus:
Qui iussi subitò Christi mandata facessunt;
Inprimísq; parens cœtu comitata piorum,
Qui Christi fuerant vestigia certa secuti,
Vertebántque graues in dulcia gaudia luctus:
Et superant alacres vicina cacumina montis.
Vtq; locum læti tenuere, redemptor IESVS
Effulgens radiis cœlestibus astitit, & se
Ostendens illis, sic blando est ore locutus:
Hactenus, ô fratres, vobiscum ducere vitam
Fas fuit; at nunc me genitor in certa reuerti
Regna iubet, cœlique domos: vobis ego pacem
Æternam linquo. Dehinc multa effatus, ab ipsa
Paulatim se tollit humo, vultúmque, manúsque

Ad

Ad cælum tendens cæleſtes fertur in oras.
Viderunt comites illum ſupera alta petentem,
Deuicta qui morte, poli fulgentia ſecum
Aſtra ſuper, liquidíque vias ducebat Olympi
Felices animas, piceo quas carcere dudum
Æternis regio tenebris obducta tenebat;
Qui natum, Patrémque ſimul per læta canebant
Carmina, & illorum reſonabat cantibus æther.
Quin etiam agnouere Deum, Dominumq́; paternas
Intrantem Chriſtum ſedes nitidiſsima cæli
Atria, & è cælo noua lux effulſit aperto.
Illi oculos fixos ſupera ad conuexa tenebant,
Donec ſe Chriſtus nebula circundatus alba,
Digrediens terris ſuperas remeauit ad oras.
Qui poſtquam aſpexit ſociorum corda receſſu
Iam turbata ſuo, demiſit ab æthere binos
Sublimis ſubitò ciues in veſtibus albis;
Qui pauca hæc alacres placido ſunt ore locuti:
Progenies Galilæa Deo dilecta, tueris
Quæ cæli æthereas intento lumine ſedes,
Qualis victor ouans altum penetrauit IESVS,
Quem vos attoniti in cælum vidiſtis euntem:
Idem ad vos, cùm tempus erit, per inane redibit.
His dictis, cælum terris petiere relictis.
Parte alia aligeri iuuenes plauſere per altum
Æthera, & ingenti latè exultauit Olympus
Lætitia, ſuperúmque chori cecinere viciſsim
Ante fores ſummi cæleſtia carmina cæli,

Funde-

Fundebántque ſonos citharæ, dulcéſque querelas
Alituum manibus percuſſæ, & tibia gratos
Curua dabat ſonitus, non ſibila ruſtica: namque
Aduentante Deo portarum clauſtra patebant
Stellantis, nec non ſummi ſpatia ignea cæli:
Quæ nunquam Sol proſpexit, non candida Luna:
Sed Pater has nitidas ſedes, lux ipſa, beatas
Lumine perfudit; Solem qui fecit, & aſtra,
Et circum ſonuere nouis concentibus auræ.
Antoni hos etiam mittit tibi Gambara verſus,
Queis Chriſtum cecinit cælum aſcendiſſe, Patréſque
Electos olim ad tutos duxiſſe receptus.
Atque vtinam ille idem Chriſtus ſtellantis eaſdem
Nos vocet ad cæli lætas poſt funera ſedes.

In diem Pentecoſtes.

AD MARCVM ANTONIVM AMVLIVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

QVINQVAGESIMO poſt Chriſti reſurrectionem die, ſuper totam piorum turbam in vnum locum coactam deſcendit diuinus ille Spiritus ignearum linguarum inſtar: ſeditque ſuper ſingulos illos, qui poſt illum cæleſtis Spiritus hauſtum, & omnium linguis, & ſine timore vllo Chriſti nomen prædicabant.

QVINQVAGINTA *ſuos terris oſtenderat ortus*
Aurora, & totidem curſu compleuerat orbes,
Carcere perfracto poſtquam, Patribúſque ſolutis
Victor ab infernis Chriſtus ſurrexerat oris;
Cùm Patres numero bis ſeni, turbáque multa,
Femineóque parens Chriſti circundata cœtu,



Secreta quæ in ſede Sion collecta latebat,
Atque expectabant cæleſtia dona magiſtri
Iam promiſſa ſui: ſubitò cùm lux noua circùm
Viſa polo eſt (flammarum inſtar) deſcendere ab alto
Ingenti ſtrepitu, magnóque immiſta fragore,
Et totam luſtrare domum, Patrúmque ſupremis
Verticibus viſa ardentes conſidere linguæ.
Agnouere Dei numen, promiſſáque dona
Biſſeni Patres, paritérque electa piorum

Turba:

Turba virûm: quibus infusum diuinitùs almæ est
Aurai æthereum lumen, mox numine pleni
Mentémque, pectúsque nouo, noua verba ferebant
Ad populum, & mira celebrabant laude parentem
Æternum, ac natum, diuini & numinis auram;
Egreßique domo, constanti voce salutis
Auctorem magnis referebant vocibus vltrò.
Hic aderant variæ gentes, linguísque, habitúque,
Quæ siluas habitant Medorum, & diuitis oras
Persidis, atque Arabum tractus, & inhospita Ponti
Littora, quæq; bibunt Tiberini flumen, & vndas
Quæ scindunt Babylonem vrbem, Maurusia quæq;
Arua colunt, arua infrenis habitata colonis,
Quæ patrio audierant illos sermone loquentes.
Atque aliquis rerum sacrarum ignarus, & almi
Occulta virtute Dei venientis ab alto
Æthere, miratus stupet in nouitate, videt dum
Talia, & ingenti tecta insonuisse fragore,
Agnoscitque suæ distincta vocabula linguæ.
Aduenit tunc ille dies, quem dixerat olim
Numine cælesti mentem perfusus Ioël;
Diceret & quamuis hos vitea pocula vulgus
Hausisse, & ridens conuicia plurima in illos
Funderet. at postquam diuinum infudit amorem
Mentibus ipsorum sinceris Spiritus, alto
Descendens cælo, haud flammam, ferrúmue timebant
Bisseni Patres, & cetera turba piorum;
Intrepidi at mortem per vulnera mille petebant,

 Spar-

Spargentes populis diuini semina verbi.
Vnanimes Christum ante aras oremus Amult,
Qui patriæ decora alta tuis virtutibus auges,
Pectoribus nostris ille idem Spiritus adsit
Infusus, Domino *in seruos demissus ab alto.*
Atq; vtinam Christus nobis concedat, vt ipsum
Regnantem cælo possimus cernere, nostros
Post obitus, miseræ post tanta incommoda vitæ,
Viuentem postquam in terris non vidimus ipsum,
Versantémque homines inter, populósque docentem,
Jordanes quos irriguis interluit vndis.

In Assumptionem B. Mariæ Virginis.

AD MATTHÆVM CONTARELLVM GREGORII XIII. DATARIVM, VT VOCANT.

ARGVMENTVM.

MARIA, aduentante mortis hora, duodecim Apostolos, ex diuersis orbis partibus diuinitus illuc allatos; narrantésque quæ pro Christo fecerint, quæque passi fuerint, consolata; atque ad quaslibet acerbitates pro eo perferendas exhortata; sanctissimam Deo animam reddidit: quæ magna cælitum lætitia in summum cæli fastigium recepta est.

SCANDENTEM *postquam natum Galilæia Virgo*
Vidit Olympiacas sedes, atq; intima cæli
Atria, qua lux clara polo, latéque refulget
Splendidior Solis radiis, cùm surgit ab alto,
Et cælum, nitidaq; relucet lampade tellus,
Et recolens illum rediisse ad luminis auras,

Post



Post ternos soles barathri è caligine densa:
Et tandem à nato sese in supera alta vocari,
Ipsa parens studio ingenti loca sacra petebat,
Supplicibus venerans votis: nam vixerat annos
Bis septem dulcis post nati funus acerbum:
Funere quo vatum monimenta antiqua videbat
Ad finem perducta suum, certámque salutem
Morte dedisse sua populis, stirpíque futuræ.
Multa animo euoluens miracula, nunc quibus ægris

Auxilium tulerit, vilique exsurgere lecto
Jusserit, & digito surdas recluserit aures;
Oraq́, luminaq́, & gressus æquauerit ipsis
Haud pariles claudis, hominumque è pectore monstra
Expulerit, monstra è cælo detrusa profundum
In barathrum: superas & quos reuocarit ad auras.
Hoc natum in templo ternas post denique luces
Quæsiuit mærens, etiam cùm sede sederet
Inter primores vrbis, templique ministros,
Et patris æterni inuenit præcepta docentem.
Deinde locum accessit, vacua qua rupe labores
Non vllos experta, solet quos femina partu;
Nullum passa virum peperit, regémque, Deúmque:
Crediderim Christi matrem dixisse, priusquam
Desereret lucem hanc, nostrisq́ recederet oris,
Talia, deserto sistentem in limine gressus:
Ante alias felix sedes, & conscia nostri
Virginei partus salue; tibi cernere Christum
Fas fuit hoc antro natum, cùm luminis auras
Primum hausit puer ipse; noua cùm luce refulsit
Hæc sedes; quanquam nigranti inuoluerit orbis
Nox vmbra molem immensam: carménque canentes
Audisti aligeras acies, plaususq́ per altum
Æthera; pastorésque rei nouitate, nouáque
Attonitos luce in densis radiante tenebris
Vidisti. tu testis item quæ munera gentes
Attulerint, quas Stella micans deduxit ab oris
Auroræ, & puero dederint. Sed tu quoque salue

O nox,

O nox, quæ nobis tot gaudia læta tulisti:
Cuiq́; frui licuit diuinis cantibus. Et mox
Accelerans Solymam rediit: dehinc luce sequenti
Conscendit montem, quo nati corpus in alta
Exanimum cruce conspexit: dehinc anxia dixit:
Hoc te nate loco vidi, cùm barbara gens te
Duceret horribilem ad mortem, palmásque, pedésque
Transfixúmque latus, & spinea serta gerentem.
Hic tua prô turpi labentia lumina morte
Conspexi, & terram maculantem sanguine multo.
Et mox ad tumulum Christi vestigia flectens,
Hic ego te mærens, inquit, dulcißime nate
Ipsa sinu accepi respersum membra cruore:
Atq; nouo positum nocte adueniente sepulchro
Aspexi: hos Simeon luctus cecinit mihi, dicens:
Ipse tuum pectus transfiget lethifer ensis.
Aduenit tunc illa dies mihi amara, mihíque
Dura nimis matri his oculis tam sæua videnti.
His dictis, ad montis iter iuga frondea durum
Flectit oliuiferi; quæ postquam venit ad alta
Culmina, suspexit cælum, & sic ore locuta est:
Nate patris magni noua gloria, spésq;, salúsque
Certa hominum, duce quo cælum sperare iubemur;
Linquentem hic humiles terras, & regna petentem
Debita te Christe his oculis mea viscera vidi;
Atque choro procerûm magno comitante secantem
Æthera, cælestésq; vias stellantis Olympi.
Ast ego cur sine te his terris moror? accipe tecum

Hanc

Hanc animam, corpúsque iube, & me linquere sedes
Has humiles, tecúmque poli in penetralibus æuum
Ducere perpetuum, promissáque cernere regna.
Talia dicebat tantos meditata labores.
Sed suprema dies cùm iam aduentaret, vt aura
Vitalis Mariæ mortales linqueret artus:
Diuersis subitò rapti è regionibus adsunt
Bisseni proceres, quos olim elegerat ipse,
Ipse sibi comites Christus, sociósq; laborum.
Ille licet sedes Italas, hic Persidis vrbes,
Ille & odoratos felici gramine campos
Lustraret, Septémque alij subiecta trioni
Arua licet, iussas vt quisq; accesserat oras;
Vt Mariæ extremo decorarent funus honore
Protinus inuisunt dilectæ limina matris,
Multa volutantes alto sub pectore, & illam
Accedunt, illamq; alacres vno ore salutant.
Quos placido excepit vultu, lætatáque mentem est,
Cùm vidit socios, intentísq; auribus astat,
Dum sua quisque refert, quæ sit mala plurima passus,
Dum populis fidei iactat fundamina nostræ;
Pérque manus illorum etiam miracula narrant,
Quæ fecit Deus omnipotens vulgata per oras,
Quas ingens mare circundat, atque alluit vndis.
Tunc Virgo grates egit pro munere Patri
Æterno; atq; illos ob nati numen acerba
Tot passos, & plura pati est hortata, necísque
Omne genus, dicens illis post funera, quæ vos

Regna

Regna manent, nati ô comites dum viueret, & post
Illius mortem vestigia sancta secutos.
Ergò vbi vitales auras Maria alma reliquit,
Reddidit atq; animam solis radiantis amictam
Luce noua, septámque choro per inane canentum
Alipedum illius laudes, natíque, patrísque,
In cæli sedes Virgo est assumpta beatas.
Tunc latè insonuit variis concentibus æther,
Et noua lux cælo effulsit, plausúmque dedere
Tecta per ætherei ciues cælestia, suntq;
Diuinæ aduentu testati gaudia matris.

Hoc media cecini carmen testudine, qua se
Aërias templum Ludouici attollit ad auras:
Hic vbi claram vrbem scindit vetus Albula cursu,
Contarelle, decus Celtarum insigne potentum:
Hic vbi Mygdonio è saxo nunc construis ædem
Sacratam Mariæ Galilææ, quæ dedit almam
In lucem vnigenam Christum, nostræq; salutis
Virgineo auctorem partu. Salue inclyta Virgo,
Quæ cælum, & noua regna tenes, nósq; aspice Olympi
Excelsa de sede, viámque ad sidera nobis
Da facilem, vt tecum, postquam funesta dies nos
Limine depulerit tristis vitæ, astra petamus,
Cælicolûm digni aspectu, & cælestibus oris.
Túq; mei memor esse velis Matthæe, maris qui
Pacatas proscindis aquas sub principe tanto,
Qui rector ratis est Petri, quæ nunc maris æquor
Per placidum latè salsis exultat in vndis,

Et cælo caput attollit. nam Brixia, quæ me
Edidit in lucem, fuit olim condita ab alto
Sanguine Cenomanûm; quæ gens fuit aspera in armis:
Quæq; etiam Italiam factis felicibus auxit;
Unde tuam sobolem ducis dignissimus idem
Inter auos, proauósq; pari cum laude reponi.

Iudicium extremum.



AD ANTONIVM FACHINETTVM BONONIENSEM, EPISCOPVMQVE NEOCASTRENSEM.

ARGVMENTVM.

DICIT tremendum extremi iudicij diem, enumerans multa prodigia illud præcurrentia. quo die Christus magna cum maiestate veniens, hinc piorum benefacta, illinc impiorum scelera memorabit: hisque æterno igni traditis, illos ad cælestia secum, æternáque gaudia perducet.

MENTE *diem, Antoni, quoties magnam ipse reuoluo,*
Cùm iudex Christus sublimi sede sedebit,
Atq; tubæ totus clangore remugiet æther;
Confestímque animæ in sua corpora quæq; redibunt,
Perpendet quas iudicio iustissimus acri,
Vnicuique suo infligens pro crimine pœnas;
Dignaq; pro meritis persoluens præmia iustis:
Ossa quatit toties gelidus tremor, oráque miris
Pallent nostra modis, membris séque implicat horror.
Quis non horrescet, cùm toto sæuiet orbe
Pestis atrox, & dira fames, terrórque sub altis
Visceribus terræ infusus terrebit vtrumque
Littus, & arescent homines, ceu cæsa securi
Ligna solent æstu in medio? signa ardua flammis
Inq; voluta ruent, orbis soluetur in ignes:
Terrificos voluent maria aspra ad littora fluctus:
Et totum implebunt resonis stridoribus orbem:
Namq; erit illa dies iræ Dominique, Deíque;
Non hominis: cui dum terris sua vita, calórque
Vitalis miseros artus, & membra foueret,
Quod voluit semper fecit: nam fecerat illum
Esse suæ spontis dum viueret omnipotens Rex;

Rex cœli, terræq; simul, rerúmque creator.
Sed qui seruarunt summi præcepta parentis,
Non ausi fas atq; nefas miscere, piúmque,
Atque dolis capere insontes; & matribus arma
Detestata sequi; aut tedas violare iugales;
Ignotósque deos colere, & subuertere leges
Antiquas, moré sque nouos inducere templis.
Qui sine labe agitat vitam, sine fraude, dolóque:
Qui loquitur quod sentit idem, iustique, bonique
Cultor; & in rebus cunctis studiosus honesti,
Instantis non horrescent hi signa ruinæ,
Sidera non delapsa polo, non murmura ponti
Insolita, aut rapidis agitata tonitrua ventis:
Lætitia sed perfusi noua gaudia mente
Concipient: adsuntq; alacres, felicia dicent
Tempora; quæ Christus sociis mortalibus olim
Prædixit; Solymis vitam dum duceret oris:
Cum virtute sua nos idem firmet, opémque
Afferat; in rebúsque potens adiutor egenis
Sit semper: quæ nos circunstant vndique, & vrgent.
Propterea non nostra metus, non terror habebit
Pectora, non mentes nostras; licet ilicet vnà
Ardua terrarum in medium mare transportentur
Sedibus è propriis conuulsa, & mixta procellis
Æquora, terrificisque notis reuoluta resultent.
At digni sontes scelerata ob crimina morte,
Lumina deiecti, vultúmque atq; ora pudore
Suffusi; lacrymis perfundent pectus amaris.

Non

Non Sol ipse diem obscurus, neq; Luna nitenti
Lumine lustrabit noctem, nec sidera cælum.
Tunc apparebit medio crux aurea cælo:
Cuncta suis longè radiis quæ sidera vincet.
Et Deus aligerûm delectos ordine ab omni
Actutum æthereo iuuenes demittet Olympo:
Qui molem hanc mundi immensam clangore tubarum
Terrebunt resonantum auras, terrámque patentem:
Horrendúmque canent: Exurgite protinus omnes,
Funereis quorum tellus habet ossa sepulchris,
Vel cineres: Christus vocat omnes ante tribunal
Ipse suum: mora ne teneat vos vlla, tremendum
Iudicium quos expectat. Tunc protinus omnes
Consurgent tumulis: atq; in sua prima redibunt
Corpora: & intus alet vitalis spiritus illos.
Tunc omnes populi surgent, quos Africa quondam
Terra dedit nitidam in lucem; & quos Persidis olim
Terra tulit; & quæ septem coluere triones,
Consurgent gentes; quæq; vltima littora seruant,
Qua Sol decedens linquit mortalibus vmbras,
Et tenebris noctem inuoluit: dabit & mare cuncta
Corpora, quæ quondam tumidis immerserat vndis:
Illisit quorum scopulis, pontóque biremes
Incumbens pelago Boreásque, Eurúsque, Notúsque.
Hic aderunt Asiæ reges, domitórque Quiritum
Cæsar, Alexandérque ferox, Libyæq; tyranni:
Atque alij Heroes, quos gloria parta sub armis
Euexit cæli ad tenues septemplicis oras.

Aligerûm cunei iuuenum mysteria sancta
Portabunt crucis in manibus: hic spinea serta,
Hic clauos, hastamq; alius, quæ pectus Jesu
Transfodit: factam ex saxo geret ille columnam
Mygdonio: funémque alius, quo tractus acerbam
Ad mortem est: acri & madefacta feretur aceto
Spongia, quam summa seruabit cuspide arundo.
Jn medio nebula candenti incinctus ab alto
Descendet cælo fulgentem lampadis instar
Solis habens faciem Christus: quem mille sequentur
Agmina cælestum circundata tempora sertis:
Atque petet vallem, Josaphat quam nomine dicunt,
Iudicium in cunctos exercens. clamor amaro
Cum gemitu, & lacrymis hominum tolletur ad astra;
Et feriet tenues auras. scindetur & omne
In geminas mortale genus miro ordine partes:
Et statuet dextra insontes, sontésq; sinistra.
Jn siluis veluti pecudes cùm pastor ab hœdis
Diuidit; atque illos læua seponit; ouésque
Dextra parte locat viridi securus in vmbra.
Mox dicet Christus iudex iustißimus: O vos
Felices animæ, felicia corpora, mecum
Scandite in æthereas sedes, promissáque Patris
Regna mei, æternásq; domos: vos namque dedistis
Optatas epulas inopi: potúmque volentes
Poscenti: tristésq; etiam donastis amictu;
Quo sese nudi tegerent: morbóque leuastis
Languentes: & vos obscuro in carcere plebem

Pauperie oppressam dura inuisistis: & illos
Hospitio errantes vos accepistis aperto.
Quódque meis vni ex minimis fecistis amici,
Hoc mihi fecistis: labor hic nec vester abibit
In ventos: sed certa manent vos præmia: mecum
Quare agite hinc superas læti conscendite sedes:
Vestrorúmque simul iam carpite digna laborum
Præmia. Vos autem sontes, scelerúmque phalanges
Perpetuas ite in flammas: quas mille ministri
Accendunt pulsi cælo: quia iussa rebelles
Spreuistis Patris æterni, dum dulcibus annis
Vitalis calor infusus sua membra regebat.
Tunc iusti noua regna petent, sedésque parentis
Æterni, simul & nati sine fine beatas.
At contrà scelerata phalanx tradetur auerni
Ignibus, atque illam pœnæ sine fine manebunt.

AD PROSPERVM SANCTACRVCIVM ROMANVM, QVI POSTEA A PIO IIII. PONT. MAX. IN NVMERVM CARDINALIVM COOPTATVS FVIT.

ARGVMENTVM.

HORTATVR Prosperum nunc Cardinalem, vt fratris mortem sapienter ferat. deinde narrat quo pacto Dauid Saulis & Ionathæ necem deplorauerit.

IVSTITIÆ *columen Prosper, luménque tuorum,*
Quem dolor amissum ob fratrem premit, & noua cura

Occupat



Occupat ob ſubitam cladem, paruóſque nepotes,
Quos ille in cunis liquit; dum tu colis vrbem
Pariſium, à ſummo Legatus miſſus ad ipſum
Pontifice Henricum regem, qui Gallica ſceptra
Felici ditione tenet, populóſq; volentes.
Nec te pœniteat, ſi non pia funera fratris
Duxiſti, aut lacrymans clauſiſti lumina dextrá
Languida iam inſtantem ob mortem; nam debita iuſta
Soluimus Æneadum toto comitante ſenatu;
Atque illum tumulo patrum de more tuorum
Condidimus lacrymis madidi, & ſine fine dolentes.
Teq; ſequi haud pigeat Dauid, qui funera poſtquam
Saulis indoluit; lacrymis, luctúque recenti

Impoſuit

Imposuit finem, & belli se accinxit ad arma.
Nec dubita, attollet virtus tua te super omnes
Romulidas, licet egregios, quæ affectat ad alta
Astra viam factis semper felicibus aucta.
Ad montem castra indomiti posuere Philistei
Gelboën, armatásq; acies: Saul quoque gentem
Ipse suam has contra admouit. pars vtraque sed cùm
Prœlia pugnassent sæuißima; denique Saul,
Nec non tergemini fratres ante ora parentis
Pallida bellantum iaculis cecidere sequentum:
Namq; Philisteo tandem victoria ceßit,
Largo & inundarunt cæsorum sanguine valles.
Atque Amalechite Dauid cæso hoste redibat
In Siceleth, secúmque viros, prædásq; ferebat
Hostiles, quas abstulerant, facto agmine, gentes.
Hanc cladem postquam accepit rex Dauid, amictus
Discidit, & lacrymis oculos perfudit amaris;
Et ducibus circumseptus sic ora resoluit:
Vos populi, qui Judæam, Galilæáq; tecta,
Quiq; Palæstinam incolitis, lugebitis, ora
Nil nisi vestra sonent lugubria carmina, quando
Militiæ flos interiit rex Saul, & vnà
Bellando illius nati, atq; exercitus omnis
Corruit, & nostro fœdata est sanguine tellus:
Cesset opus ruris, sileant tabularia, & omnis
Hierusalem, resonent lacrymoso mœnia luctu,
Atq; sui doleant crudelia funera regis.
Non choreas, non luce sacra conuiuia tectis

Ducere permittas vrbs olim assueta triumphis.
Parce & Idumæas vulgare ô fama per vrbes
Hanc pugnam: non Geth, non Ascalon impia nostras
Audiat ærumnas, ne læti gaudia toto
Pectore concipiant, & nostris cladibus hostes
Insultent, & fronde tegant sublimia lauri
Limina, & in mediis agitent conuiuia tectis:
Heu cecidit ferro Saul, ceu non foret vnctus
Quondam oleo in regem Solymorum. vos iuga Saul
In quibus & clypeus periit, atque Israël olim
Fama ingens, positis armis, aufugit opacas
Per siluas. heu quo arma modo victricia quondam,
Nunc victa, & suspensa alto sub fornice templi,
Prô dolor, Astarothi pendent, Ionatháfque sagittis
Confossus; quos vita animo coniunxerat vno,
Hos tulit vna dies: vibrabat vulnera Saul,
Vibrabat Ionathas, armis metuendus vterque,
Et pariter bello insignes, ambóque feroces,
Ambo aquilis celeres magis, atq; leonibus. At vos,
O matres, miseræq; nurus, teneræq; puellæ,
Vos non palla tegat mæstas, quæ tincta colore
Sidonio fuerit, donísq; ornarit, arena
Quæ fert gemmifera Ganges, quæq; aurifer Hermus,
Quæq; legit scopulis rubri maris incola nauta.
Tu verò ante alios infelix Gelboë montes
Semper eris: tibi nec cælo ros decidat vnquam;
Néue exusta siti gelidis tua pascua lymphis
Fons riget, & lymphæ desint, & gramina siluis;

Truxq;

Truxq́ tuas Boreas vellat radicibus ornos;
Primitias commissa ferant neque semina sulcis;
Ver & odoratos flores effundere opaca
Valle neget; tibi nec spiret leuis aura tuorum
Per nemorum colles, cælo cùm Sirius ardet:
Abiectis quoniam clypeis, his procubuit rex
Collibus, & terram (indignum) prono ore momordit,
Qui primus tenuit Iudææ regia sceptra;
Miles vbi aufugit bellantum territus armis.
Dixit, & orauit submisso poplite regem
Æternum cæli & terræ, ne linqueret illum
Inter tot rerum discrimina, tótque labores.

AD PTOLEMÆVM GALLIVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

QVÆ dixerit Dauid post adulterium, & Vriæ necem, delictorum suorum à Deo veniam petens.

OBSCVRO *in thalamo, & tecti in penetralibus altis*
Æthercam lucem exosus, vitámque, suósque;
Regali haud chlamyde indutus, cùm sidera nondum
Pallida sunt luce Eoa; quæ fudit ab imo
Pectore rex, ducis Vriæ post funus acerbum,
Admissumq́ nefas quondam, ô Ptolemæe, Latinis
Audire haud pigeat numeris: nam tu quoque amabas
Ausonios vates, Graiósq́; & dulcibus annis
Condebas felix, & non ignobile carmen:
Si fors ipse vacas, nec te tenet ardua moles



Tantarum rerum tanto ſub Principe, quo non
Eſt magè pacis amans quis, vel ſeruantior æqui,
Felſina quem genuit Tuſcorum regia quondam.
O facilis precibus flecti, lacrymíſque precantum,
Has voces audi omnipotens, quas fundimus ad te
Conſuetum lapſis veniam dare; & ablue ſordes,
Me miſerum, quibus immerſi: nunc & quia noſtrum
Vulnus eget magno auxilio, curáque ſalubri,
Ablue me ſemel, atq; iterum; nec deſice: namque
Peccatum admiſſum agnoſco, quod ſemper oberrat

Lumini-

Luminibus coram nostris noctésq; diésque.
In te magne Pater, & te spectante, nefandum
Commisi scelus, & si nunc tua tot benefacta
In me commemores, cunctis notissima quæ sunt,
Dicêris iustus: verùm ipse ingratus, & exlex.
Non ratione ipsa impulsus, sed corporis huius
Illecebris tunc succubui: nam fomite in isto
Progenuit mea me mater: quem semper in ortu,
Cùm primùm has haurit vitales luminis auras,
Fert secum mortale genus genitricis ab aluo:
Túque tuis armis tegis illos, conscia quorum
Pectora sunt veri, nec quenquam fallere norunt;
Meq; tuo egregium fecisti munere vatem
Omnipotens, & erant densis quæ occulta tenebris,
Et ventura olim nostrorum in sæcla nepotum
Fecisti manifesta mihi: verùm immemor huius
Muneris, & tanti meriti, tua numina læsi,
O rerum custos, haud vno crimine: sed tu
Da veniam, atque mei ex animo miserere precantis,
Sim licet ingratus. nam si me aspergine sacra
Hyssopi lustrabis, ero tum lætus, & atra
Labe carens, niue candidior; implebis & aures
Lætitia nostras, & languida robur in ossa
Ossa diu gemitu, & lacrymis consumpta redibit.
Ipse aliò sed flecte oculos, ne crimina nostra
Aspicias, ea me assiduè sed respice flentem;
Atque animo sordes, curásq; expelle sequaces;
Et nouus ille habitet rationis Spiritus in me:

Corq́; nouum mihi ſit poſthac, nec me procul arce
Alme tua Pater à facie, ſed Spiritus auræ
Cæleſtis ſemper faueat tuus, & mihi redde
Lætitiam, qua, dum colui te ritè, fruebar;
Auxilióq; tuo ne me Pater exue; mentem
Infirmam ratio imperitans fac firmet in horas.
Hoc ſi præſtiteris, noctéſq; diéſq; monebo
Errantes homines à recto tramite vt ad te
Confugiant, & ero exemplar, præcóque tuorum
In me tantorum meritorum. ipſe exime noxa
Me caput, auctorémque necis, ſceleríſque nefandi.
In laudes tunc ipſe tuas mea plectra monebo.
Tuq́; aperi mea labra Pater, Pater alme, meúmque
Os de more tuas dicet tibi carmine laudes.
Si fieri vitula voluiſſes, ſcilicet aras
Victima multa tuas tinxiſſet ſanguine: nec tu
Sanguine lætaris pecudum, dum ſacra litamus:
Aſt delicti animus ſine labe, & fraude, dolétue
Crimina ſi ſua quis lacrymans, vitámque nefando
Duxiſſe in luxu: Deus hunc haud deſpicis. at tu
Auxilio refoue Sion, vt mœnia poßit
Iam collapſa diu ſarcire, & condere carmen,
Ferréque ſacra tuis templis, & nablia plectro
Percutere, & vitulos auidis imponere flammis.
Hæc tibi ſemper erunt cordi ſollemnia ſacra.

In duritiam cordis Iudæorum.

AD SERAPHINVM OLIVARIVM GALLVM, ROTÆ AVDITOREM.

ARGVMENTVM.

INVEHITVR in Hebræos; qui, cùm cælum, atque elementa omnia auctorem ſuum cognouiſſent; ſoli ipſi perpetua cordis duritia laborauerunt.



HEBRÆVM *meritò populum dominator Olympi*
Ceruicis duræ populum, Seraphine, vocauit:
Namq; deos coluit toties, quos ſacra vetabat
Lex Moſis, Patre *ab æterno deſcripta tabellis*
Marmoreis. Deus *omnipotens hunc duxit ab oris*
Ægypti propius ſedes, promiſſáque regna:
Illorúmque fuit Deus *hoſtibus hoſtis, & illos*

Protexit

Protexit ſemper clypeo, fouítque: nec orbe
Toto erat vlla magis gens ſummo grata tonanti.
Et tamen obliti meritorum externa colebant
Numina, & illorum redolebat odoribus ara.
Unde Deus multis olim ſi cladibus illos
Affecit, meritò affecit, liquítque: nec vlla
Illorum remanent veteris veſtigia regni.
Nec Christum agnouit gens hæc incredula, quamuis
Extarent opera illius miranda, maríque,
Et terra: ſed præcipuè cùm feruida ventis



Æquora

Æquora placarat verbo; & vestigia claudis
Æquarat solito gressu: cernebat & ille,
Qui nunquam vidit lucem: & reuocabat ab oris
Infernis homines ad cæli luminis auras:
Præcipuè Marthæ fratrem, quem terra paterno
Exanimum tumulo iam quarta luce tenebat;
Et propè iam in terram gelidos mors verterat artus;
Iactabátque grauem putrefactum corpus odorem.
Hunc tamen ad superas oras reuocauit IESVS;
Quem circumfusæ gentes videre mouentem,
Tollentémque caput tumulo, & sua verba loquentem:
Viderúntque illum positis accumbere mensis.
Cognouere Deum præsentem elementa, polique,
Quem Virgo ediderat partu: nam regia cæli
Conspicuam extulerat stellam; quæ misit ab oris
Auroræ ad Solymorum vrbem, tunc terna ferentes
Dona Magos puero Mariæ. cognouit & æquor,
Calcandum cui se exhibuit; vestigia Christi
Abluit haud rapida vnda maris, licet ille per vndas
Ferret iter. tellúsque illo moriente dedit tunc
Signa sui expirantis heri: nam victa dolore
Ingemuit, tremuítque sacro madefacta cruore
In cruce pendentis Domini. Sol insuper ore
Pallidus, æthereo cassum iam lumine Christum
Aspiciens, vultus texit, radiósque micantes;
Liquit & obscurus picea in caligine terras.
Ingentes lapidum moles, ceu fissile lignum
Sunt partes scissæ in varias, velúmque sacrorum.

M *Reddidit*

Reddidit & barathri sedes sibi credita quondam
Corpora multa virûm, quæ surrexere. Sed ipsa
Nesciuit Judæa suum dominúmque, Deúmque;
Viderit illa licet templo, & per compita Christum
Clarè æterna Patris summi præcepta docentem:
Quem venturum olim Bethlem prope mœnia norant.
Viderat & regem externum frenasse potentem
Hierusalem haud miti imperio: quo tempore nasci
Jnfans ex Maria debebat Virgine Christus:
Jllorum vt vates venturi haud inscius æui
Prædixit dicens, Non Iudæ regia linquet
Sceptra domus, donec veniat rex magnus ab oris
Mittendus superis, genitúsq; ex Virgine, & ipsum
Jpsum omnes gentes, quà Sol cadit, expectabunt,
Quáq; redit, rediénsq; diem fert lucidus orbi.
Hæc cecini Seraphine tibi, dùm tu colis vrbem
Ante alias superis gratam, quam diuidit vnda
Thybridis, intortóque petit salsa æquora cursu:
Acceptúsque viris duodenis, qui sacra reddunt
Iura simul populis, quósq; aspicit auricomus Sol:
Túque tua te tollis humo probitate, tuóque
Ingenio, tendísque viam vaga sidera versus,
Iustitiæ pectus miro inflammatus amore.
Interea nostri non immemor hoc lege carmen:

A D

AD AVGVSTINVM VALERIVM EPISCOPVM VERONENSEM.

ARGVMENTVM.

INDVCIT Hebræos Babylonicam captiuitatem deplorantes, Babyloniq́ue malè precantes.



QVÆ cecini ad Mellæ ripam, Auguſtine Valeri,
Accipe; cúmque tua patrem ſimul vrbe precare;
Vt velit à noſtris ceruicibus ipſe malorum
Tantorum molem immenſam depellere, quæ nos
Deprimit incumbens humeris. viden', vt ferus hoſtis
Mille trophæa ſuis lætis ſucceßibus addat,
Seu campis ſeſe credit, pelagóue patenti;
Threicius nam miles arat iam claſſe profundum,
Et petit Adriacas ratibus victricibus vndas,

Et dirum fert exitium, & bella aspera secum.

Quà vagus Euphrates Babylonem interluit vndis,
Illic nos iuxta latum consedimus amnem;
Fleuimus, & ripæ lacrymis maduere profusis,
Anxiáque erecto suspiria duximus ore
Ætheris ad conuexa: tui sed non tamen vnquam
Immemores dilecta Sion, vbi matris ab aluo
Egreßi has puri nos luminis hausimus auras,
Et salicis trunco citharam suspendimus alto.
Tunc illi, qui nos rigida sub lege premebant,
Bellando Solymæ captos sub mœnibus vrbis;
Talia iactabant in nos ad fluminis vndam:
Eia agite, ô iuuenes, nobis cantate vicißim,
His ripis Solymæ gentis memorabile carmen:
Quo vestri laudare Deum iuuenésque, senésque
Hebræo proni ante aras de more solebant.
Sed nos, quo procurua modo prope flumina magni
Euphratis tristes, aliena atque vrbe morantes
Pectine diuinas laudes cantabimus aureo;
Irridénsque sacros gens audiet impia cantus!
Namque erat indignum non nostris carmina regnis
Aut canere, aut agili percurrere cymbala dextra.
Sed si Hierusalem templi, rerúmque tuarum
Oblitúsue tui fuero venientibus vnquam
Temporibus; mea dextra mihi sit inutilis; & qui
Est mihi dextra Deus, *solitúsque afferre supremam*
Rebus opem nostris, ne me iuuet indigus & sim
Diuini auxilij, méque Africus obruat vndis

Clamantem,

Clamantem, succurre Pater, succurre precanti;
Et mea lingua meis simul hæreat arida siccis
Faucibus; ipse tui si non per carmina semper
Nostra recordabor, si non tot vana deorum
Numina despiciam, téq; vnum ante omnia dicam,
Siue polo cùm concedit, seu cùm remeat nox:
Atque meis nisi lætitiis, rebúsq; secundis
Prætulero te Hierusalem, cùm mœnia quondam,
Et templum, atque vrbis tecta instaurata videbo.
Et cùm sacra feram nostro sollemnia templo,
Gentis Idumææ memor esto, ô conditor orbis,
Et miseræ illius lucis, qua gens fera dixit:
Vos vastate domos, imóque euertite fundo
Mœnia, nec lapidi lapis hæreat, & cadat omnis
Hierusalem, templúmque à culmine corruat alto.
Tu misera ante alias Babylonis filia gentes,
Quæ nostris nunc læta malis, nostróque superba
Seruitio exultas, venturæ ast nescia cladis;
Namque amnis, qui te placidis nunc diuidit vndis,
Tunc secum tumidis vehet agmina cæsa tuorum
Vorticibus, simul & madidum caput efferet alueo,
Admirans rutilare nouis sua flumina flammis,
Rorantésq; alto bellantum sanguine ripas.
Quid dicam infelix Babylon? erit ille beatus,
Qui tibi damna dabit, quæ nos accepimus à te,
Et qui te bello euertet, dehinc inferet ignes,
Et dulci matrum amplexu, gremióque gementes
Auellet natos, saxóque illidet acuto.

AD ANSVINVM POLAM TARVISINVM.

ARGVMENTVM.

ORAT Deum, vt impendentia à nobis pericula propulſet. Mox deplorat Domini vineam à Luthero vaſtatam.



CVM *furor armorum, & longè belli inſonet horror,*
Ducat & infernas peſtes, & ſæua malorum
Semina Tartareus tenebroſa è ſede tyrannus;
Tu mecum Anſuine preces dic candide Pola;
Quas nuper cecini Patris omnipotentis ad aras.

Ipſe

Ipse vides quæ Turca ferox, atque impius in nos
Arma paret, Pater omnipotens, terráque, maríque.
Nec satis hoc, tua iam populantur ouilia gentes,
Quæ rectas liquere vias, iustúmque, piúmque.
Hæc vacuos tondent saltus, dumetáq; siluæ
Hercinię, gelidíque bibunt quæ flumina Rheni:
Quósq; ferus versat pastor per prata Britannus:
Insuper & mortem intentant. tu disiice campis
Instructas illorum acies, turmásq; feroces.
Quin & in opprobrium nostri, tua vinea, quam tu
Ipse tuis manibus seuisti, strata recumbit
Ad terram, tribulos inter, lappásque, rubósque:
Quam ferus est depastus aper, eductus ad vndam
Haud liquidam, tumidus quà defluit Albis in æquor:
Nam si respicies læto nos lumine, tuti
Tunc erimus, nec erit nostris timor vllus in oris.

AD FERANDVM FARNESIVM EPISCOPVM PARMENSEM.

ARGVMENTVM.

MARIAM Virginem amplissimis laudibus celebrat.

DVM *colis egregiam quam Parma interluit vrbem;*
Inuisisq; tuos populos, templíque ministros;
Quo pastore greges carpunt bona gramina siluis:
Atque bibunt liquidos subter nemora ardua fontes:
Optatósque ineunt vicina ad flumina somnos:
Assiduè quos fida canum custodia seruat:

Ferande



Ferande hoc ſacras mecum dic carmen ad aras,
Virginis in laudem Galilææ: quæ dedit almam
In lucem auctorem lucis: quò ſola refertur
Noſtra ſalus: via qui recta eſt ad lucida cæli
Atria, & ad ſuperas ſedes radiantis Olympi.
Sim licet ingenio tenui, nec diuite vena
Contexam tales verſus, quales ſacer olim
Condiderat Dauid nulli pietate ſecundus,
Summum concelebrans æterna laude parentem.

Alma Dei genitrix Virgo, vt cecinere beati
Tot vates, ne sperne preces, quas fundimus ad te
Vnanimes, & thura tuis quæ incendimus aris.
Aspice, dum templi postes ornamus odoris
Floribus, & foliis bene olentibus: & benefacta
In nos dum canimus tua, te & veneramur ad aras.
Aspiráque piis votis: nam certa salutis
Es via tu nostræ: quæ nunquam fallis amantes
Te, puerúmque tuum. Summi tu sola potentem
Concilias nobis cæli, terræq; parentem.
Et tu stella maris, quæ non se condit, vt astra
Cuncta solent: toto irradias tu semper Olympo:
Cui cedit splendore nitens Luna, & rutilus Sol:
Ille diem terris quanquam vehat; & vehat illa
Sidereæ noctis clarum pulcherrima lumen.
Tu demisso animo es puteus Virgo alma profundus:
Túque eadem insigni virtute es turris ad astra
Te tollens; & sidereis te sedibus infers.
Te supera alta colunt: sedésq; inferna tremiscit:
Te genus obseruat mortale: vocátque parentem
Intactam: partu quamuis hominémque, Deúmque
In lucem claram edideris Dauidica proles.
Túque choros elata super sanctißima Virgo es
Alituum, qui regna tenent cælestia. Túq; es
Cedrus odora velut: quæ pridem educta supremo
In Libano, summum sublimi vertice vincit
Aëra; & aëreis sese ardua nubibus infert.
Purior es Solis radiis; cùm surgit, & oras

Luce noua primùm Eoas, dehinc littora nostra
Illustrat. Tu palma etiam pulcherrima siluas
Inter Idumæas. Oleæ tu fertilis arbor
In campis speciosa nites. Tu flumina ad alta
Se tollens platanus frondoso vertice. Tuq́ue es
Pæstano rosa nata solo, Hiericóue rubenti.
Tu nitidi Solis radios induta, premísque
Tu Lunam pedibus. Et te duodena coronant
Sidera. Tuq́ue etiam radianti incedis amictu,
Virgineo comitata choro. Tibi plausibus æther
Insonat: & cæli fundunt noua carmina ciues;
Atque tuas celebrant laudes. Tibi nec draco soli
Antiquus nocuit, quamuis capita ardua haberet
Septena, & species foret illi corporis ingens.
Túque pudicitiæ speculum mirabile: namque
Nulla in te macula est. Cæli tu pulchrior astris.
Gloria tu vatum, quondam qui carmine Christum
Ex vtero cecinere tuo sub luminis auras
Venturum. lucem insolitam mortalibus ægris,
Errabant qui tunc tenebris Virgo alma tulisti.
Te iuuenum pennata cohors plaudentibus alis
Concinit: & lætis concentibus insonat æther.
Tu Iessæ virga es: tu cæli ianua, quæ iam
In nato patefacta tuo est. Tu perpetuus fons
Ex quo dulcis aquæ leni cum murmure riuus
Effundit sese: & fecundos irrigat hortos:
Quos nostri coluere patres: quos & colit omnis
Gens, seruat quæ nunc summi præcepta parentis.

Æterni

Æterni tu sponsa Patris. Tu mater IESV;
Mortales maculas fuso qui sanguine tersit.
Pro nobis Maria alma tuum natúmque, Patrémque
Æternum exora: nos vt post funera dignos
Efficiat pietate sua cælestibus oris:
Quas optamus, vti vigiles, qui tempore belli
Noctis agunt taciti excubias in turribus altis;
Et nitidos ortus, optatáque lumina Solis
Expectant: dare quo poßint sua membra quieti.

In D. Ioannem Baptistam.

AD IOANNEM BAPTISTAM STELLAM BRIXIANVM, VINCENTII FILIVM, MONACHVM ORD. S. BENEDICTI CASSINATENSIS.

ARGVMENTVM.

CELEBRAT Ioannem Baptistam, quòd è matre sterili diuino miraculo natus sit. quòd adhuc puer in deserta loca secesserit. quòd plurimos, & in iis Christum in Iordane baptizauerit. Postremò deplorat eius necem, quòd longè omnium præstantissimi vatis caput meretriculæ filia in pretium vnius saltationis acceperit.

TEMPORE, *quo sceptra immitis Iudæa tenebat*
Crudeli imperio Herodes de semine turpi
Cretus Idumæo, nec adhuc adiutor ab aluo
Virginea Mariæ Christus prodisset in auras
Æthereas; claro de sanguine Zacharias
Vir fuit, & celebris vates, & diues in vrbe
Hierusalem: coniux erat huic sanctißima matres

Elisabet Solymas inter de sanguine Aronis:
Quæ sterilis longum mærens transegerat æuum:
Quos multa circum fundebat tarda senectus
Canicie, prolis spes & defecerat omnis,
Quamuis sæpe piis precibus, lacrymisq; profusis
Orassent superos optatæ munera prolis.
Amborum tandem miserans pia vota, precésque
Audiit omnipotens: festa nam luce sacerdos
Cùm faceret sacra in templi penetralibus, atque
Ferret thura Deo peragens mysteria, sacri
In dextro altaris cornu pulcherrimus ore
Nuntius effulgens, veluti Sol, cùm redit ad nos,
Pulsa nocte, nouumq; diem fert lucidus orbi,
Astitit haud vlli visus, nec cognitus vlli.
Perculsus subitò obriguit terrore Sacerdos,
Et concussa metu mens est. Tunc talibus illum
Nuntius alloquitur roseo pulcherrimus ore:
Ne trepida longæue senex, ast excute vanum
Corde metum: nam te cælo Deus audiit alto
Orantem precibus vnà cum coniuge: coniúxque
Elisabet tua, sit senio licet obsita longo,
Tuq; simul, tibi concipiet tamen illa virilem
Progeniem, partu puerumq; enixa parentem
Te faciet, quo nec maior, nec sanctior inter
Vllus erit tunc mortales. dehinc pauca locutus
Sustulit in cælum se versicoloribus alis.
Ast vbi promissi venerunt tempora partus,
Luxq; optata diu cælesti effulsit ab arce,

Infan-



Infantem Elisabet genitrix effudit ab aluo.
Undique conueniunt consanguinitate propinqui:
Totáque Iudææ pubes montana peragrans
Confestim tendunt ad limina Zachariæ,
Et teneri cupiunt pueri sacra tangere membra;
Atque insperatæ celebrant natalia prolis,
Lautáque dispositis ducunt conuiuia mensis.
Vix puer interea teneros expleuerat annos,
Cùm liquit patriam, & nemorum deserta petiuit;

Hic vbi siluestris sugebat pabula mellis:
Præbebant victum fructus, quos silua ferebat:
Sedabántque sitim fontes; durúmque cubile
Instratum ramis antrum præbebat in alta
Rupe patens: non vestis erat saturata colore
Sidonio; at corpus totum vestibat amictus
Consutus villis temerè, vlla haud arte, cameli.
Postquam illum firmata virum iam fecerat ætas,
Ætherei Patris monitu nemora alta reliquit;
Et liquidi accelerans Iordanis venit ad amnem:
Atque homines vitæ exactæ commissa monebat
Delerent lacrymis, spargens fluuialibus vndis;
Deinde redemptoris Christi venerabile corpus
Abluit, atque illum tollentem crimina mundi
Exclamat, monstrátque Deum certissimus index:
Quem Virgo peperit nullos perpessa labores:
Quem toties Solymi vates cecinere per oras
Iudææ, venturum olim de semine Dauid,
Deleret primi qui mox peccata parentis,
Atque fores clausas, summi & penetralia cæli
Panderet, atque hominem è terris transferret Olympo.
Dum verò Herodem argueret de crimine, qui tunc
Vxorem fratris thalamo sociarat iniquo,
Insidias odio mulier stimulata parabat,
Perderet vt vatem tanti sibi conscia probri.
Ac dum rex mediis ageret conuiuia tectis
Natali redeunte suo; choreásque puella
Exerceret ouans incestæ filia matris,

Docta



Docta mouere pedes, & ſe conuertere multos
In gyros, regi placuit, cœtuq; virorum.
Tunc dapibus, vinóque madens rex talibus infit:
O virgo forma inſigni, tu nunc pete quod vis,
Ipſa licet poſcas à me, dulciſsima, regni
Dimidium, nullam patieris ſpreta repulſam.
Illa caput petiit, referens mandata parentis,
Carcere præcluſi dudum Ioannis: & eſſet
Quanquam rex triſtis, iuſsit tamen ilicet enſe

Ioannis caput abscindi: quod læta puella
Attulit ad matrem disco fulgente repostum.
Crudelis pateram potuit qui sanguine plenam,
Abscissumq; caput iuuenis venerabile tales
Cernere conuiuas inter, mensámque, dapésque
Illa luce, hausit qua primum luminis auras.
Lugete, ô virides siluæ, & resonæ conualles,
Antráque, & exesæ rupes, quas ille colebat
A teneris annis, primóq; à flore iuuentæ:
Nam nece Ioannes raptus vos liquit, & vltrà
Fas erit haud illum siluis audire canentem
Æterni Patris laudes, venisseq; pacis
Auctorem, lucísq; Deum sub paupere forma,
Verum occultantem numen, caliginéque atra
Aduenisse homines reuocare ad limina vitæ.
Hæc sunt quæ cecini flauas ad Tibridis vndas
Illius in vitam, & mortem; quem nomine reddis
Ioannes Baptista, tui non immemor vnquam:
Nam veluti cunctos cælestes diligis inter
Præstantem meritis Baptistam: sic ego semper
Te colui, sempérque colam venientibus annis,
Donec me cæli spirabilis aura fouebit.
Tu quibus officiis me iuueris abdita seruo,
Scilicet æternùm memori sub pectore gratus
Naturáque tua facili, doleóque carere
Colloquiis me, Stella, tuis, paritérque parentis.
Sed vice sermonum tibi erunt hæc carmina nostra
Exoptata tibi, donec me Brixia, tuq;
Post hanc inuisam æstatem, soléq; videbis.

In

In D. Petri vincula.

AD PYRRHVM TARVM ROMANVM.

ARGVMENTVM.

NARRAT quo pacto D. Petrus ab Herode in carcerem coniectus, diuinitùs sit liberatus.



HERODES vlli haud hominum feritate secundus,
Scilicet vt Solymo tumidus præcordia regno,
Maior Iacobus ferro postquam illius auras
Vitales morte indigna, & sine crimine liquit:
Iudæis morem vt gereret, mandauit & ipsum
Includi insontem tenebroso in carcere Petrum,
Festa volens illum demens post proxima genti



Hebrææ, populóque ſimul producere, eúmque
Supplicio afficere horrendo. mora nulla miniſtri
Ardentes Petrum latebroſo in carcere condunt;
Quem duo cuſtodes ſeruabant compede vinctum.
Hinc, atque hinc poſiti, poſita & cuſtodia portæ.
Interea comites cum femineo comitatu
Vnanimes regis templum Salomonis adibant,
Fundebántque preces ſubmiſſi poplite flexo
Ætheris ad regem ſupremum: ne caput atro

Linqueret

Linqueret ipsorum coniectum in vincla Simonem
Carcere: sed spatiis cùm nox æqualibus altum
Humida diuideret cælum, & sopor altus haberet
Per terras mortale genus, pecudésque, ferásque,
Vellet & Herodes illum producere primo
Mane, necem ad sæuam; summo demissus Olympo
Aliger est iuuenis, iussu Patris omnipotentis,
Humanam speciem referens; & carceris atras
Ingreditur latebras: quo protinus ipse refulsit
Luce noua aduentante locus, altóque sopore
Excitat oppressum Petrum, dextráque iacentis
Percutiens latus, hæc dixit: Surge eia age Petre.
Ad vocem illius subitò se erexit, & alto
Corripuit sese è somno, manibúsq; catenæ
Confestim fluxere, dehinc ita nuntius insit
Aliger: Ipse tuis nunc te indue vestibus, & me
Actutum sequere accelerans. tunc impiger illi
Paruit, hærebátque pedi pes illius, & iam
Æquabat iuuenis gressus properantis ad ipsam
Carceris æratam portam, quæ spectat ad vrbem:
Olli quæ subitò patuit; Petrúsq; putabat,
Dum iuuenem sequitur, se somnia vana videre.
Cúmque vrbis partem transissent, ductor in auras
Aërias properè pansis se sustulit alis.
Cæleste auxilium summo de vertice cæli
Demissum agnouit Petrus: nam reddita postquam
Illius menti lux est, vmbræq; fuerunt
Discussæ, in sese rediit, dixitque: Ego verè

Nunc scio me ereptum imperio, manibúsq; ferocis
Herodis, populique simul; qui nostra videre
Funera sperabant, cùm primo lumine rebus
Redderet alma dies terris infusa colorem.
Non ope mortali factum est, non arte magistra
Hoc opus. ipse Deus cæli de sedibus altis
Demisit iuuenem alatum, qui vincula rumpens
Ferrea, me in lucem nigranti è carcere duxit.

Tu mecum dic Pyrrhe sacras hæc carmina ad aram
Iustitiæ cultor Pyrrhe, & fidißime legum
Interpres, candore animi non vltimus inter
Mortales, quibus est cordi rectúmque, piúmque.
Christe, tuæ nobis pateant orantibus aures:
Vtq; Petrum picea duxisti è carceris vmbra
In nitidum cæli lumen, mortisq; pericio
Eripuisti illum: da sic euadere nobis
Hanc belli pestem accensam terráque marique.
Tu rege nos, donec veniat meta vltima vitæ
Oppressos longo senio, multóque labore:
Nam dulces abiere dies, ceu versus ab Euro
In tenues auras montano in vertice fumus,
Et tanquam torris rapido consumptus ab igni.

In Diuum Laurentium, cuius templum ad Ollium flumen IOANNI FRANCISCO GAMBARÆ Cardinali commiſſum eſt.

ARGVMENTVM.

CELEBRAT Laurentij pro Chriſto ſuper crates ferreas necem: eiúsque in diſtribuendo Xiſti theſauros in pauperes pietatem.



DIVE *magis lauri Laurenti digne coronæ*
Quàm qui duxerunt reges, populóſq; reuinctis
Poſt tergum manibus, claróſq; habuere triumphos.
Atque aliquis quæ nunc refero ſi fortè negabit,

 Conferet

Conferet æternis idem mortalia rebus:
Namque alia expectas ab eo, qui sustinet axes
Cælestes, infusa tuos dum flamma per artus
Exurit positum supra (miserabile) corpus
Ignitas crates, transuersáque robora ferri;
Atque alias tu morte tua cælestibus oris
Victor agis pompas, alia insuper ipse trophæa.
Flectere te haud Decius potuit precibúsve, minísve,
Imperij qui tunc Romani sceptra tenebat;
Quin tu thesauros Xisti, cui cura sacrorum
Credita erat, Petríque vices de more subibat
In terris, Christi dederis pro nomine egenis,
Prodigus & vitæ, & temnens fera iussa tyranni.
Dum tua Laurenti celebramus sacra quotannis,
Franciscus commissa sibi quæ Gambara seruat
Non procul à viridi ripa, quà labitur vndis
Ollius irriguis, quà sunt tibi templa dicata;
Ipse refer laudes Patris omnipotentis ad aures,
Quas canimus, licet indignæ sint nomine tanto:
Effice, vt illum ipsum nocteśq; diéśq; sequamur,
Vt solet vmbra hominem, quacumque incedit; & illi
Grata simul quæ nunc facimus, sint vota precésque.
Et tu Christe tuum populum ne linque, tenet qui
A te demissum nomen, qui mæstus ad aras
Cælum onerat votis (dum templo sueta ministrant
Sacra Sacerdotes) animóque & mente precatur,
Vt sese à diro defendas hoste, tenet qui
Arma manu, & nostros fines inuadit, & atros

In nos, exitiúmque tui fert nominis ignes;
Quod minitans delere parat, nisi tu Pater illum
Auertas virtute tua, & cælestibus armis,
Optata & nobis reddas læta otia pacis.

De Faustino, & Iouita Martyribus.

AD VINCENTIVM STELLAM BRIXIANVM, I. V. DOCTOREM.

ARGVMENTVM.

FAVSTINVS, & IOVITA Brixiani multa prius pro Christo sub Traiano tormenta passi, tandem sub Adriano capite plexi, martyrij palmam adepti sunt.



VINCENTI, *qui posthabitis iam legibus, omnem*
Applicuisti animum studiis, quæ sidera ad alta

Perducunt

Perducunt homines, vbi pax, vbi lumine puro
Regna beatorum fulgent, datur atque tueri
Ora Patris, Patris æterni, qui condidit olim
Omnia, & è nihilo formans, miro ordine fecit.
Dum tu difficiles nodos exoluere quæris
Scripturæ sollers sacræ, lege quæ tibi nuper
Non studiis aliena tuis, Stella optime, misi
Pauca, licet tu sis dignus grauiore cothurno.
Qua te laude feram, genitrix mea Brixia, cæli
Astra super, tu quæ fidei duo maxima nostræ
Lumina clausa tenes tumulo? tu namque Iouitam,
Tu Faustinum eadem tenues in luminis auras
Fudisti; quorum exemplo subiere beatam
Tunc mortem largo perfusæ sanguine gentes
Ob Christi nomen, quas tellus Itala alebat.
An referam quas sub Traiano rege per vrbes
Ausoniæ pœnas, & tetro carcere paßi?
Vos etiam iniecti flammis; sed flamma receßit
Hinc atque hinc faciem in montis, nec corpora vestra
Læsit edax ignis: nam vos seruauit ouantes
Incolumésq; Pater cæli, rerumq; creator:
Obiectíque feris trucibus; sed non sine vinclis,
Non sine verberibus multis; subitóque feroces
Ipsæ animos posuere feræ, atque immitia corda;
Vestra nec inflicto presserunt corpora morsu.
Mox Mediolanum ducti, vinctíque catenis,
Carcere & inclusi tenebroso horrenda tulistis
Supplicia, obscœnámque famem sub iudice sæuo.

Nec

Nec vos pœna, licet grauis esset, terruit vnquam:
Nec violata fides quondam promissa parenti
Æterno fuit, at creuit. tum denique ducti
Parthenopen, vincti manibus post terga, pedésque
Compedibus, vos in vastos, rapidósq; profundi
Proiecere maris fluctus: sed conditor alti
Ætheris auxilio fuit, immisitq; repentè
E cœlo alatos iuuenes, qui corpora vestra
Mersa mari eriperent tumido, & fluitantibus vndis.
Nec mora, iussa citi faciunt, atq; aëra tranant
Remigio alarum, freti almi numine Patris.
Dehinc freta salsa petunt, & vos è gurgite vasto
Eripiunt, manibúsq; suis ad littora curua
Incolumes eduxerunt, mirabile visu.
Sed cùm turba virûm, quæ circumfusa tenebat
Littora, prospexit stantes in littore viuos,
Et nouitate rei attonita, admiratáque factum
Insolitum, vos & Patris præcepta docentes,
Nec non cœlestis vitalia semina verbi,
(Vt prius) hæc dixere palam: Nos numina falsa,
Atque Iouem vanum colimus; manifestáq; signa
Vidistis miseræ ô gentes. Tu, tu Deus alta
Sede sedes cœli in medio; te conditor orbis
Maxime adoramus: dominum, regémque potentem,
Atque viam, lucémque hominum, vitámque fatemur:
Et pro te cupimus tormenta subire, necémque.
Quæ postquam trepidans turbato pectore vidit
Parthenope Præses, timuitque, & iussit vtrumque

Carcere concludi obscuro; dein luce sequenti
Illos in patrias sedes, vrbémque reduci:
Hadriano qui sub mortem subiere cruentam;
Sanguinéque effuso terram tinxere parentem.
Tu verò Faustine sacer, túque alme Iouita
Transcripti cælo ciues, numeroq́ue colentum
Atria celsa poli; vos nunc de sede superna
Aspicitis, qui nunc meritis vos laudibus alta
Tollimus astra super; vos magni Patris ad aures
Ferte preces nostras, vt tanto in turbine rerum,
Et belli vestros ciues defendat, & vrbem
Immeritam, quæ vos aluit, pariterque sacrauit
Vestra ob gesta Deo Patri venerabile templum
Æterno, ob meritas laudes, posuitque ministros
Custodes templi ingentis, rerúmque sacrarum.

In D. Hieronymum.

AD ANTONIVM HÆLIVM PATRIARCHAM HIEROSOLYMITANVM.

ARGVMENTVM.

CELEBRAT D. Hieronymi vitam sanctissimè actam, eiúsque scripta. deinde precatur Christum, vt Turcarum classem perdat.

O STRIDON *vrbs ante alias accepta parenti*
Æterno, quæ sunt positæ per pinguia culta
Dalmatiæ: namque ille tuus fuit incola, ciuísque
Eloquij fons illimis Hieronymus, acer
Defensor veri, atque pij, rerumq́ue minister
Sedulus, & longè per quem scriptura relucet

Sacra,



Sacra, velut cælum, pulsa quod nube serenat
Riphæis veniens Aquilo violentus ab oris.
Namque aperis sollers diuina volumina multis
Haud rectè intellecta locis. tu falsa refellis.
Tu Syriæ longo coluisti tempore siluas,
Bethlemiásq; domos senio confectus, ibique
Sacris intentus studiis, sine labe beatam
Duxisti vitam in terris, semotus ab omni
Cura animum; & vitæ cursu defunctus, Olympo

Nunc frueris, spectásq; Deum, qui præmia reddit
Digna tuis meritis, miro quem semper honore,
Atque humili coluisti animo, & nunc cernis ab alto
Æthere Threicium regem tua tecta tenentem
Imperio, atque Italas iam nunc conuertere ad oras
Mille equitum cuneos, peditúmque, ratésq; parantem.
Huic tu Christe tua primo in certamine dextra
Occurrens, immitte fugam; voret vnda biremes
Ismarias, milésq; ferus nostro cadat ense.
Tuq; tuum, Antoni, ciuem cum fletibus ora,
Æternum roget vt Patrem, nostri vt misereſcat
Inter tot rerum discrimina, tótque labores.

In D. Antonium Abbatem.

AD ANTONIVM PERENOTTVM GRANVELLANVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

DVRAM Antonij in desertis locis vitam describit. Exin nomine Perenotti Card. rogat eum, vt Deo pro se preces fundat.

ANTONI *nemorum cultor, cui pocula lymphæ*
Fontis erant, paruóque sopor magè gratus in antro,
Quàm molli recubare toro, gemmísq; corusco,
Dum coleres loca senta situ, siluásq; palustres:
Nunc sacras hederis orno bicoloribus aras,
Liminàque intendo templi, postésque superbis
Exquiliis positos lauro, myrtóque virenti,
Narcisso pro purpureo, calatháque, rosáque,
Accensásq; faces teneo de more vetusto.

Ante



Ante aram ſupplex, ego qui te nomine reddo
A teneris, & te veneror, pater optime, ne te
Pœniteat Patrem æternum, natúmque precari,
Ut me reſpiciat, longúmque extendat in æuum
Hanc vitam, ſine labe tamen, ſine crimine, qualem
Duxiſti quondam in Phariis nouus incola ſiluis.

In Diuum Benedictum.

AD SERAPHINVM FONTANAM MEDIOLANENSEM, PRÆLATVM MONACHIS D. MARIÆ FARFENSIS.

ARGVMENTVM.

BENEDICTVS Nursiæ ortus in Sublaci deserto durissimam vitam duxit: deinde Casinum montem cum suis Monachis incoluit: vbi multa miracula edidit; multa prædixit. Celebrat deinde auctor religionem illam, vt à tanto Patre institutam, multisq; & Martyribus, & summis Pontificibus, & Regibus illustratam.



LVCIFER *vt cælo effulget cùm surgit, & almum*
Nunciat aduentare diem mortalibus ægris:

Sic

Sic laude effulget merita Benedictus in oris
Exoritur quà Sol, & quà nos linquit, & ingens
Consurgit nox cincta caput nigrantibus vmbris.
Nursia quo genitrix tanto lætatur alumno:
Et se sideribus cæli sublimibus infert.
Sublaci hic petiit rupem iuuenilibus annis:
Tunc diris loca plena feris, nunc regia sedes.
Atq; ibi caprarum succinctus corpora pelle,
Continuos illis ternos in cotibus annos
Exegit: vitamq; cauo vigil egit in antro,
Assiduè voluens animo præcepta Parentis
Æterni, & seruans tenui ieiunia victu
Dura: ministrabat primo quem mane Sacerdos
Ad procurua habitans Anienis flumina; vitæ
Integer, atq; illis probitate insignis in oris.
Edidit ipse pater miracula plurima: mox &
Aërium magno montem comitante Casinum
Deuenit comitum cœtu sub tempora Veris.
Templum erat hic donis opulentum, & numine Phœbi:
Quod gentes Italæ posuere in vertice montis.
Delphica non aliter coluere oracula Graij,
Quàm templum indigenæ hoc gentes, populique propinqui.
At postquam hanc ædem intrauit Benedictus, & aram
Muneribus, multóque auro prospexit onustam,
Atq; Sacerdotes templi, rerúmque ministros:
Ingemuit lacrymans; & ficti numinis aram,
Cælatam & Phœbi effigiem de marmore fregit:
Quæ collapsa solo passim confracta iacebat:

Sacra-

Sacratumq; illi lucum conuoluit in ignes.
Sustulit & vanos ritus: regique dicauit
Sublimes cæli nutu qui temperat oras.
Nec quisquam illorum tantis se opponere cœptis
Est ausus, qui seruabant templúmque, locúmque:
Sed subita attoniti formidine remq; domósque
Liquere; & cursu terras tenuere propinquas.
Hanc sedem pater incoluit Benedictus: ibíque
Cum sociis vixit quos secum duxerat, & quos
Ipse sua insigni pietate attraxerat olim,
Ipsius vnanimes vestigia sancta secutos.
Non solùm hic fecit miracula multa: virósque
E tenebris nitidæ reuocauit lucis ad auras:
Corporibúsq; hominum sæpe expulit horrida monstra,
Monstra polo summi iussu deiecta parentis.
Depulit & tristes languenti è corpore morbos:
Sed varios rerum euentus, perituraq; templa
Prædixit: multa & Totilæ, qui barbara castra
E Scythia in Latias audax traduxerat oras
Bellator. tandem & vita sine labe peracta,
Prædixit sibi iam lucem aduentare supremam;
Corporeis sese qua posset soluere vinclis,
Et petere optatas sedes fulgentis Olympi.
O tua quàm felix est tali nata parente
Relligio Seraphine; patrum & virtute tuorum
Aucta diu: fuso quondam qui sanguine palmam
Æternam meruere suo, sedésq; supernas:
Quiq; Petri subiere vicem, sedémque, locúmque:
Deposito

Deposito Reges sceptro, & qui rexerat orbem
Terrarum imperio: spreta ditione, suísque
Posthabitis vitam sub tanto egere magistro:
Ausoniæ fasces, & opes, & regna perosi.

In D. Mariam Magdalenam.

AD CHRISTOPHORVM ROBVSTERVM TARRACONENSEM, AVDITOREM ROTAE.

ARGVMENTVM.

MARIA Magdalena, dum ad Christi tumulum fleret; eum videns, non agnouit. Narrantur quæ ipsa Christo, quæque Christus ipsi dixerit.



PRO *meritis in se tantis tibi Gambara semper*
Debebit: donec veniat meta vltima vitæ,
Et reget hos artus cæli spirabilis aura.
Tanti erit ille igitur meriti non immemor vnquam
Christophore. ad tumulum nunc tristem, & multa gemẽtem
Magdalenam audi, dum flet pia funera Christi:
Quam thalamo pictam mæsta sub imagine seruas.
Ad Christi tumulum dum Magdalena sederet
Illacrymans, læuumq́; genu complexa teneret
Suspensum iunctis manibus; per colla, humerósque
Sparsa comam: geminos candenti in veste sepulchrum
Seruantes vidit iuuenes: vbi corpus IESV
Depositum nuper fuerat: astabat & vnus
Supremam ad partem tumuli, partem alter ad imam:
Qui dicunt, Misera ex oculis cur fundis amaros
Cum longo fletus gemitu? tunc illa: Meum quòd
Abstulerint Dominum *è tumulo: sumq́; inscia, vbi nam*
Sit positus: dixit. conuersaq́; vidit IESVM
Non procul astantem: læti quem credidit horti
Custodem: non illum ipsum, quem mæsta per omne
Quærebat montis spatium sub lumina Solis.
Magdalena et enim cunctis abeuntibus, ipso
Non discedebat tumulo: vacuumq́; vbi vidit;
Discerpsit manibus flauos nullo ordine crines:
Atque locum gemitu impleuit, mentémque dolore
Deuicta, & mœrore graui, dum credit ademptum
Mæsta redemptorem mundi. tunc Christus ad illam
Se vertens, tali compellat voce dolentem:

Quid

Quid lacrymis misces gemitus? quidue anxia quæris?
Illa, meum, dixit, Dominum, *si fortè tulisti;*
Pande vbi sit, quæso, sacratum corpus: vt illud
Sustollam, & tumulo condam; & pia funera ducam.
Tunc ipsam aspiciens Christus: Maria, inquit. at illa
Conuersa; atque ipsum agnoscens, mox læta pedes se
Ad Domini *sacros subitò proiecit. at ille:*
Non licet, ô mulier, tibi me nunc tángere: nondum
Conscendi æthereas sedes, & lucida cæli
Regna: neq; accessi ad Patrem, cui paret Olympi
Regia stellantis, tractus terræq;, marísque.
Atque refer pauca hæc sociis; quos feruida cura
Sollicitat, tristésq; tenet ob funera nostra.
Tu rerum solare inopes; & pectora solue
Plena metu: amissóque illos solare magistro.
Dic etiam: Ascendo ad Patrem vestrúmque, meúmque;
Atq; Deum *vestrum, atque meum. nec plura locutus,*
Candenti lætam præcinctus nube reliquit.
Magdalena gradum celerans deuenit ad ædes
Ob Iudæorum insidias, quibus ipsa latebat
Gens vero dilecta Deo: *& plorantibus infit:*
Aspexi Dominum *his oculis: atque hæc mihi dixit.*
Nec solita illius facies, aut forma fefellit
Concaua me multum lacrymantem ad saxa sepulchri.

In D. Catharinam.

AD GVLIELMVM SIRLETVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

CELEBRAT Catharinæ in repudiando regno, magnanimitatem: in ſuperandis Philoſophis, ſapientiam: in contemnendis cruciatibus, & morte, fortitudinem, atque conſtantiam.



TV *noſtro Sirlete etiam memorabere verſu:*
Quem ſemper laudare ſoles, & tollere ad aſtra.
Accipe, quæ cecini Catharinæ in virginis almæ
Et vitam, & mortem pariter: dum ſcripta ſacrorum
Tot vatum, & Solymos libros, monimentaq; Graiûm,
Et noſtra euoluis ſummo, vigiliq; labore.

O Virgo,

O Virgo, dum te canimus, gratißima summo
Cælicolûm Regi, voces, quas fundimus audi;
Amborúmque refer Patris omnipotentis ad aures.
Tu rege nos, Pater alme, tua pietate, tuóque
Nos tege nunc clypeo, qui in te confidimus, in te
Qui spem nostram omnem, mentémque locamus, & vnum
Te colimus, seu cùm ostentat se purpureus Sol;
Seu cùm decedens linquit mortalibus vmbras.
Qua digna te voce canam, satis inclyta virgo,
Doctáque? quæue tuas poterit memorare, licet sit
Ferrea vox, meritas laudes? tu filia regis,
Fertilis Ægypti imperio qui sceptra tenebat.
An dicam te pauca super? quamq; alta tuarum
Mererum moles premat, & perterreat; & sim
Non dubius partem exiguam vix dicere posse?
At dicam, vt genitor tenera te ætate docendam
Ingenuas artes, nec non exordia rerum
Curauit: pater impleuit sed post vbi vitæ
Curriculum breue, tu regni tibi debita sceptra
Spreuisti, ceu vilem algam, Catharina, deósq;
(Inscia gens olim veri quos illa colebat)
Et tot opes, magnásq; vrbes, tedásq; tyranni.
Atque tuum robur animi videre ministri
Inuictum, te dum pœnis non cedere acerbis
Conspiciunt. tu non lauri de fronde coronam
Exspectas; verùm duplicem post funera palmam.
Sanguinis effusi fuit altera, & altera casti
Corporis, ac vitæ. tu pectore dedita toto

Cælicolûm regi, quondam perpessa famémque,
Vincláque, crudelésq; rotas, non territa pœnis
Innumeris; docto superas sermone disertos,
Insignésq; viros vario in certamine; qui tunc
Vana tuo eloquio liquerunt numina, tecúmque
Occubuere suo perfusi sanguine cuncti.
An referam cùm te inuisit regina silentem
Sub noctem, comitata vno, caua saxa iacentem
Inter, & horrentes te vidit carceris vmbras?
Téque ipsam miserata, tibi suaderet vt atro
Carcere te eriperes, & ferres sacra tonanti?
Sed commota tuis coniux est regia verbis:
Voce Deum *& clara verum est confessa; maritum*
Nec regem verita est, nec vincula sæua, necemq;
Et Ioue adorauit spreto lætissima Christum.
An dicam caput abscissum, spectante tyranno
Lictoris gladio? quo vulnere non cruor ater
Effluxit, niuei sed lactis copia, & ipsa
Tincta colore nouo est (visu mirabile) tellus.
Aligeri ast animam iuuenes super æthera cæli
Virginis attulerunt subitò, Patrísq; locarunt
Sedibus æterni: ast alij venerabile corpus
Exanimum Sinæ frondoso in vertice montis
Portarunt; alacrésq; nouo imposuere sepulchro.

AD MARGARITAM STELLAM VINCENTII I. V. DOCTORIS FILIAM.

TV *Margariten referas cum nomine, quam tu*
Longè vna ante alias teneris venerâris ab annis,
Perlege quam cecini magni omnipotentis ad aram
Virginis inuictæ sæuo sub iudice cædem.

In D. Margariten.

ARGVMENTVM.

MARGARITA tenella adhuc ætate, Christi fidem suscepit. Mox adolescens ab Olibrio Præside deæ Syriæ sacrificare iussa; nec minis territa, nec promisso coniugio allecta, ei obsecuta est. tandem post multos cruciatus, abscisso capite martyrij coronam consecuta est.

Per Simeonem Metaphrasten, ex vitis Aloisij Lipomani Veronensis Episcopi, post vitam D. Melchiadis Papæ, & Martyris.



FLORVE-

FLORVERAT *Syriæ proceres Theodosius inter*
Diues opum, proauisq́; potens: sed tecta colebat
Rustica, & agrestum siluis inglorius altis
Degebat placidè cara cum coniuge vitam,
In mare quà rapidos latices deuoluit Orontes:
Cùm genita est forma pulcherrima Margarite:
Quam pater admirans nutrici lætus alendam
Mandauit, donec plenis pubesceret annis:
At nutrix Christi obseruans venerabile numen,
Clam Margariten Christi præcepta docebat,
Quam prius abluerat sacrato in fonte sacerdos.
Tunc genitor facti non inscius æstuat ira,
Atque odiis natæ infensus procul alta relegat
In iuga nutricem, dilectáque pignora quondam
Quà mons per noctis tenebras de vertice summo
Casius ardenti prospectat lampade Solem
Nascentem, noctémque alia de parte, priusquam
Lucifer exoriens multa cum luce patentes
Oceani percurrit aquas, & littus Eoum.
At virgo quamuis laribus foret acta paternis,
Tectáque nutricis coleret, puróq́; leuaret
Fonte sitim, victúmque darent siluestria poma,
Vestéque se indueret tenui: tamen illa deorum,
Et vani simulacra Iouis, ritúsq́; nefandos
Sacrorum horrebat, Christúmque immota colebat,
Et valle exiguum, spreto genitore, sub alta
Cum nutrice gregem pascebat: & Alcimedonta
Spernebat sub valle Palen, Dryadásq́; canentem.

Interea

Interea superis (sic indignatus) ab oris
Concessit genitor: virgo cùm paruula nondum
Explesset denos habitans in vallibus annos,
Defossóque foret quamuis ditissimus auro,
Et mille innumeris inuerteret arua quotannis
Vomeribus, multiq; greges, & mille iuuenci
Tecta sub occasum Solis proauita subirent:
Hæredem tamen hanc non vlla in parte reliquit.
Dum verò regni certas inuiseret vrbes
Olibrius (erat imperij suprema potestas
Quem penes) ibat iter, quà flexo semita calle
Ducit in aërium montis nemus, & iuga celsa:
Ducentem hanc pecudes vicina ad pascua vidit
Bis septem cui vix ætas adoleuerat annis,
Et vix ille oculos perpulchræ in lumina torsit
Virginis, accepit subitò cùm turbidus ignem
Ossibus, & sensit labi per membra furorem.
Illicet hanc iubet acciri, patriámque requirit,
Et genus, vnde domo. Tunc sic virgo orsa repentè est:
Quid frustrà genus, & patriam, nomenq; requiris?
Serua ego sum Christi: cui mens obnoxia seruit,
Cui mea virginitas deuota est: nam mihi testis
Ille sua est nostra qui nos à morte redemit.
Protinus hanc famuli vicina ad mœnia ducunt,
Vrbis vbi clarúmque genus, noménque parentis
Commemorat, seseq; fidem, & vestigia Christi,
Sanctáque iussa sequi. cæco tunc carcere Præses
Includi iubet hanc cùm noctem sidera ducunt.

Et iam Sol rebus infusa luce colorem
Reddiderat, solióq; sedens Olibrius alto
Vicinos circùm proceres in templa vocabat,
Ficta templa deæ Syriæ, quam gens colit omnis,
Quæ circum regna ampla habitat, tunc ducitur ingens
Victima; quam Syriæq; deæ, Phœbóque Sacerdos
Ornatus palma crines in limine mactat.
Parte alia iuxta celsi penetralia templi
Fronde coronatus cedri, myrtóque iuuencus
Marmoreum effuso tingebat sanguine limen,
Atque alius pecudem intonsam iugulabat in ignes,
Thuraq; panchæis miscebat odoribus. & iam
Finis erat, & honos aris iam factus, & omnis
Gens ibat; memor inclusæ cùm virginis heros
Olibrius iubet hanc ad publica sacra vocari,
Et Margariten dictis compellat amaris:
Hos cedri ramos adole rerum inscia virgo,
Imbuéque aurato cratere altaria, nec iam
Nutricis data te moueant mandata furentis,
Aut morere ante aras, veluti noua victima, summo
Grata Ioui, & sacro persolue in limine pœnas;
At (de more) coles cæso si sacra cruore,
Te mihi connubio, & felici fœdere iungam,
Ostróque, argentóque teges tua corpora, & auro,
Et Syriæ incedes magnas noua nupta per vrbes.
Tunc virgo geminas acies erexit ad altum
Æthera, cælestémque Patrem sic voce precata est:
Da mihi, magne Pater, cui mens mea cognita dudum,

Omne

Omne genus nunc posse necis perferre, minásque,
Et sciat ille Iouis quàm sit spernenda potestas:
Et quæ me teneat Christi fiducia, cernat.
Tu verò illusas auro sæuissime vestes,
Donáque, parce tuis, si qua est tibi cura tuorum,
Æqualésq; tuo generi ne despice tedas.
Tunc Præses grauiter dictis commotus in iras
Exarsit, tristésq; parat de virgine pœnas
Sumere: tunc illam spoliant, scindúntque flagello
Corpora, marmoreósq; sacer cruor abluit artus.
Non aliter tenero manant de corpore guttæ
Sanguineæ, quàm riuus aquæ labentis ab alta
Rupe ciens raucum campi per scrupea murmur.
Verberibus famuli instabant, dum vincla satelles
Necteret, vt vinctam traherent Iouis ante nefandum
Et vanum numen: virgo sed nulla recusat
Vincla pati pœnásque, neget dum sacra, Iouémque,
Temnátque immundis positos altaribus ignes.
At proceres tenera conceptum in virgine robur
Mirati, & subita moti pietate rigabant
Ora piis lacrymis, sanctósq; inflectere sensus
Quærebant Margaritæ: mæstíque tyrannum
Poscebant veniam pro virgine, quos tamen omnes
Voce graui increpuit: nec non consulta refellit.
Auertit Præses oculos, nec cernere quiuit
Sanguine respersos artus, & liuida membra
Verberibus. tunc sede sedens sublimis eburna,
Hanc vinctam includi tenebroso in carcere iussit.

Ecce autem virgo in tenebris dum clausa iaceret,
Cælicolúmque preces Regi (non territa cæco
Carcere, suppliciisq;) inflexo poplite fundit:
Illi monstrum ingens exerto apparuit ore,
Ore vomens atros flammati sulfuris ignes.
In spiram serpens mox se collegit, & ora
Pandit, ut ore fero sacros absumeret artus.
Ipsa sed horribili nec quicquam exterrita monstro,
Non animo cecidit, sed se cruce signat, apertásque
Ingreditur fauces, & viscera laxa draconis.
Nec mora, perfractis (visu mirabile) costis
Procumbens iacuit per humum. illa illicet aluo
Exilit, ingentes & agit seruata parenti
Æterno grates, concussaq́; pectora firmat.
Ter denos iacuit soles inclusa sub alto
Carcere, & aßiduis lacrymis, precibúsq; vacabat;
Ut mentem, virésq; sibi daret omnipotens Rex,
Sublimes cæli nutu qui temperat oras,
Aduersus Syriæ proceres, & iussa tyranni.
Iámque alias illa ad pœnas, atque horrida lethi
Supplicia, atque Iouis rursus deducitur ædem:
Pinguis vbi multo taurorum sanguine paßim
Terra madet, tectúsq; sacer velamine custos
Purpureo canos crines sollemnia templis
Sacra facit, scelerúmque simul donaria seruat.
Stabat odorata ex cedro testudine templi
In media Iouis effigies: & eburna tenebat
Sceptra manu, fulménque pedes radiabat ad imos

Ex auro. tunc ipsa comas resoluta nitentes,
Ut stetit in medio consessu, proripuit se,
Inseditque fores templi, Nabathæáque summo
Thura Ioui dare iussa, Iouem despexit, & omnes
Assyriæ gentis diuos; quos illa negauit
Esse deos, sed monstra imo damnata profundo.
Olibrius grauiter neglecta ob numina sæuit:
Non aliter quàm sæuus aper graue vulnus in armo
Accipiens, cùm mortiferos euadere morsus,
Oráque aperta canum nequit, & iam tendere in altos
Non audet saltus, nec sese opponere telis
Venantum, mouet arma acuens in prœlia dentes.
In pœnas sic mentem acuit Syrus asper, & iras
Aggerat, vlciscique deos, quos illa negarat,
Decreuit demens. mora nulla, bitumine tedas
Ardentes afferre iubet, spoliántque ministri
Hanc veste, & corpus flammis crepitantibus vrunt,
Et flamma ambesos artus in flumine tingunt:
Et liquor insinuans sese per membra dolorem
Gigneret occultum magis, & magis illa doleret:
Horror enim, pacémque animi, labefactáque furtim
Membra quatit, sensus concreto sanguine torpent:
Quos vapor ignis edit, infusaq; lympha per artus.
Crudelis, dirúmque nefas te posse putasti
Virgineos artus admotis vrere tedis,
Aut fluuio frigentis aquæ dissoluere nexus
Corporeos? tu frustrà animos spe tollis inani;
Tu Margaritæ cœlestis præmia vitæ,

 Thesau-

Thesauróſq; paras cæli ſublimibus oris.
Sic ait. at virgo patitur dum immobilis vndas,
Terra fragore graui mugit, tremefactaq; templi
Tecta, trabéſq; labant. at virgo illæſa tyranni
Conſtitit ante pedes, exutaq; brachia vinclis
Suſpexit cælum. mentem formidine cuncti
Demittunt proceres, & mox per inane columba
Lapſa polo ſertum ore tulit viridantis oliuæ,
Et Margaritæ crines redimiuit, & alis
Ingenti plauſu tollens ſe in nubila, fugit.
Sed dum tendit iter pennis ſublime per auras,
Confeſtim nituere leues radiantibus auræ
Luminibus, circúmque humeros vaga flamma reluxit.
Vt volucrem populi conuentus vidit ab alto
Labentem cælo, & cæli regna alta petentem,
Virginis intactóſq; artus, & labe carentes,
Tollebant proni palmas, Chriſtúmque canebant:
Ob Chriſtum nec vincla pati, mortémque negabant.
Ille inſperatas multo cum murmure voces
Hauſit vt, & populum tendentem ad ſidera vultus,
Et patrios clara ſpernentem voce penates,
Quattuor actutum damnauit millia morti
Olibrius, cædíque iubet. Tunc protinus vltrò
Vnanimes obiere diem, nec barbara quiſquam
Iuſſa horret, commiſſa timens; ſed ne ſibi Præſes
Regna faterentur Chriſtum, iubet ocyus enſe
Virginis abſcindi caput, abſciſſumq; reponi
Ante oculos, gaudétque tuens delubra profano

Facta

Facta Ioui iam virgineo resperſa cruore,
Et mentem nequit expleri, dum cæſa virorum
Corpora tot templi ſcelerato in limine cernit.

AD BERNARDINVM RISIVM DE CVPPIS, EPISCOPVM AVXIMATEM.

ARGVMENTVM.

ARBOR infanti Chriſto prætereunti incuruata.

Ex Hermia Sozomeno Salaminio lib. V. cap. XX. incip. Illud profectò dicetur à me.



BERNARDINE

BERNARDINE *audi factum admirabile Christi*
Infantis: qui dum furibundi Herodis & arma,
Atque minas fugeret; peterétque Ægyptia regna:
Illi ingens arbor sese incuruauit, & imam
Actutum tetigit deuexo vertice terram.
Mirum equidem plantas, fabricatáque numina saxo
Agnouisse Deum; Solymorumq́; impia corda
Nunquam cognouisse suum, rerumq́; parentem.
Admonitus Patre ab æterno, dum carperet atram
Sub noctem somnos Ioseph, vt tenderet oras
Cum puero in Pharias tacitus, puerique parente:
Herodes statuebat atrox nam quærere Christum:
Vt letho daret infantem. consurgit auitis
Sedibus, & piceæ per amica silentia noctis
Ad iussum se accingit iter; patriamq́; relinquit;
Ægyptumq́; petit. Postquam autem venit ad ipsam
Thebaidis paruam Hermopolim, portámque patentem
Accesit: qua sese arbos tollebat ad auras
Maxima, frondosum caput, & sua brachia pandens;
Quæ responsa dabat populis, gentique propinquæ:
Ceu concussa foret Borea, vel fulmine ab alto
Tacta polo, sese inflexit, tetigitque comanti
Vertice prona solum: veluti venerata tremendum
Prætereuntis heri numen, nostræq́; salutis
Auctorem Christum infantem, pariterque parentem.
Quæ sic curua diu mansit, lætissima donec
Terra ministrauit vires; illique vigorem
Infudit solitum plantæ: mirabile vt esset

Testis

Testis in hoc factum cunctis mortalibus. Olim
Indigenæ hinc populi in dubiis responsa petebant:
Quæ quondam è cælo depulsus Lucifer, illis
Reddebat: recti quem gens ignara colebat.
Aufugit subitò ille furens; ut vidit ab alto
Vertice deuexas toto cum stipite frondes.
Falsorúmque deûm effigies de marmore, & ære,
Perculsæ Christi aduentu cecidere repentè
Per fora, pérque domos, nec non per templa, viásque.
Arboris at folia, & fructus, cortéxq; solebant
Confestim cunctos hominum depellere morbos:
Si quis læsa super membra imposuisset, & unà
In sua vota Deum lacrymis, precibúsq; vocasset.

AD IACOBVM PACTVM
SICVLVM MAMERTINVM.

ARGVMENTVM.

MIRIFICA herbæ vis Christi statuam contingentis.

Ex Eusebio Pamphilo Cæsareæ Palæstinæ Episcopo lib. 7. cap. XIIII. Iisdem temporibus.

NEC *tu carminibus sacris indictus abibis*
Pacte mihi; ob candorem animi, & mirabile acumen
Ingenij, omnigenásq; artes gratissime cunctis.
Nonnihil hæc etenim debent tibi carmina: nam tu
Hæc argumentis ornasti insignibus: illa
Scripta tibi quamuis calamo properante fuissent.
Hæc igitur lege, quæ cecini prope Thybridis vndam:
Et statuæ mirare sacræ miracula mecum.



Mortales vitam Christus dum viueret inter;
Et modò Idumæas, modò Iudæ inuiseret oras:
Et claram modò Hierusalem, vicináque circum
Oppida tot, spargens diuini semina verbi:
Solueret atq; hominum linguas; aperiret & aures:
Tolleret & morbos, primíque piacula patris.
Tunc fama tantorum operum commota, reliquit;
Eoas nam fama procul penetrauerat oras;
Paneadem mulier patriam; populósq; petiuit
Iudæa horribili morbo correpta, diuq;

Languida: quam miseram quæsitæ haud montibus herbæ
Iuuissent, medicæue manus: confisaq; Christi
Auxilio tantum, turbæ se immiscuit, optans
Sacratæ digitis limbum contingere vestis;
Quo tactu rabidam vim morbi euadere posse
Sperabat. tanta hanc tenuit fiducia: quæ non
Illius mentem, atque animum, curámue fefellit.
Vidit vt hæc longè Christum: qui fortè caterua
Ingenti comitante virûm pergebat in vrbem:
Miscuit huic turbæ sese: Christíque fluentem
Extremam tetigit vestem: qua protinus illi
Contacta effeto stetit ipso in corpore sanguis:
Confestímque illi fugit dolor omnis in auras:
Et solitæ vires membris rediere; abiitque
Pallidus ore color: atque illam cura reliquit
Anxia. dehinc patriam rediit; Christíque verendam
Ex ære effigiem fieri mandauit: eámque
Illa domus propriæ ante fores, liménque locauit.
Ænea vestis erat tenui circundata limbo.
Effigies Christi dextram tendebat in ipsam
Phœnissam: quæ sese etiam formauerat ære
Illo eodem; & manibus iunctis, & poplite flexo:
In Christum fixos oculos lætata tenebat;
Atque videbatur Domino persoluere grates:
Qui sese cura nuper, morbóque leuarat,
Incolumem, ac lætam reddens patriæq; suísque.
Inter erat namque illa suos non vltima ciues
Progenie: quæ rem in medicos effuderat omnem,

Sanguineum fluxum bissenos passa per annos.
Ante pedes sacræ subcreuit imaginis herba,
Herba salutifera, & morbis immitibus apta;
Vertice sed tantum tetigit postquam æra virenti,
Et partem extremam lænæ: namque herba potentem
Vim tactu limbi subitò sumebat; & omnes
Languentes variis morbis, aut febre leuabat
Lethali, exiguo madefacti graminis haustu.
Antè autem, vestis quàm vertice tangeret oram
Extremam; penitus nullis erat apta medendis
Corporibus. faciésq; herbæ non visa, nec vlli
Nota prius, Libani nec nata in vallibus altis.

Hebræus puer incendio liberatus.

AD FRANCISCVM BRONDINVM PICOLHOMINEVM, ARCHIEPISCOPVM SENENSEM.

ARGVMENTVM.

HEBRÆVS puer, quòd Christi corpus sumpserit, à patre irato in fornacem proiectus; à beata Virgine incendio liberatus est.

Ex Gregorio Episcopo Turonensi, in vitis sanctorum Patrum Aloisij Episcopi Veronensis.

DVM *canimus puero allatam Francisce salutem,*
Quam tulit, & quam ferre etiam mortalibus ægris
Alma Maria solet positis in Syrtibus, audi:
Nam tanti seriem memorabo ex ordine facti.
Dum tu Senensem factis felicibus vrbem
Illustras, vitásq; audis, & crimina, & omnem



Ritè doces populum diuini ſemina verbi
Commiſſum tibi, nec patriis ſuccreſcere campis
Permittis lolium, atque malas radicitùs herbas
Euellis per humum ſpargens: & præmia reddis
Certa viris, Domini queis ſemper vinea cordi eſt,
Quíque laborarunt in ea: quos frigus, & æſtas
Non vnquam vetuit malè olentes ſtringere ramos:
Atque hominum longè auertis contagia dira:

Hunc clypeo Pater alme tuo nunc protege: nec non
Huic da Christe tuas & oues ita pascere: quæ nunc
Arbiæ potant latices & pabula tondent:
Commissas olim vt valeat tibi reddere, nulla
Infectas scabie, non vellera cana peresas
Illuuie, at tanquam fluuio demersa salubri
Exuperent parium marmor candore, niuésque.
Armeniæ Iudæus atrox Vitarius vrbem
Cæsaream florentem opibúsque, virísq; colebat.
Mascula progenies erat huic: quæ sola parentum
Spes erat, & denos quæ vix impleuerat annos.
Cùm foret ætate hic tenera puer, addiderat se
Tunc comitem nostris pueris, qui par erat illis
Moribus, atque æuo parili: vicinia namque
Iunxerat hos: & dum Mariæ sollennia templo
Sacra Sacerdotes facerent: puer hic quoque templum
Cum sociis (ducente Deo) est ingressus: ibique
Iisdem cum sociis sacratum corpus ad aram
Oblatum Christi assumpsit; quo protinus ille
Lætitia ingenti perfusus sacra reliquit,
Et comites; lætúsq; suas remeauit ad ædes.
Tunc pater admirans: Vnde hæc noua gaudia, dixit,
Euenere tibi? dic ô dulcissime nate.
Cui puer: Hanc facti seriem pater optime dicam.
Vicinum accessi templum, quò certa frequentant
Sacra Sacerdotes non nostræ gentis: ibique
Cum sociis, Christi sacratum corpus ad aram
Assumpsi: assumpto noua gaudia pertentarunt,

Ut cernis, animum. Tunc verò percitus ira,
Plura loqui haud passus puerum pater, ilicet illi
Sic succensus ait: Non ô sate sanguine nostro,
Atque oblite sacri Mosis mandata, patrísque,
Qui te alui: meritas nunc nunc puer improbe pœnas
Crimine pro tanto solues, legémque paternam,
Et tantum scelus vlciscar. Sic fatus, auita
E sede eduxit puerum: ardentémque petiuit
Fornacem: atque illum medios proiecit in ignes:
Arentésq; super fasces coniecit, vt artus
Inuisi teneros pueri consumeret acris
Flamma magis. Sed non cælestis defuit illi
Gratia, & auxilium magni Patris æthere ab alto
Demissum: qui tres pueros de sanguine cretos
Hebræo, iussu proiectos regis in ignes
Olim etiam pesti eripuit: qui nunc quoque septum
Ignitis vri ramis, flammáque furenti
Absumi haud passus puerum est. At territa nati
Infando genitrix casu, quem nuncia ad aures
Attulerat fama, atq; suas penetrauerat ædes,
Euolat, atque locum petit: & diffusa capillos
Per colla, implebat lacrymosis vocibus vrbem.
Atque vbi peruenit, quò nati corpus in ignes
Iecerat indignans genitor: tunc mæsta maritum
Aspiciens, illum dictis onerauit amaris.
Dilectum quondam puerum tu sæue dedisti
Ignibus infelix: qui nostræ sola senectæ
Spes erat, & quem tu toties laudare solebas.

Ah qualis te pœna manet ſcelerate! nec vlla
Te mouit pietas, nec amor natíque, meique.
Hanc lucem moror inuiſam te nate perempto:
Namque tuum haud potui funus producere: nec te
Amplecti morte in miſera, nec flere; oculóſque
Claudere; ſupremúmque vale nec dicere: cùm ſis
Exiguum in cinerem verſus: nec noſcere poſſum
Ipſa tuum cinerem infelix, nec condere in vrna.
Quo gemitu fit concurſus non paruus ad ipſam
Vndique fornacem paßim, populíque, patrúmque.
Tunc genitrix animum ingenti turbata dolore,
Coniugis occultum facinus detexit: & vnà
Recluſere fores fornacis turba virorum:
Ignibus extractis puerum & videre iacentem
Flammam inter, molles ceu plumas inter, & oſtrum:
Parte aliqua haud læſum non veſtem. tum ſimul omnes
Vt puerum videre viri: laudare parentem
Æternum; atque alto palmas attollere cælo;
Atque implere locum magnis clamoribus: atque
Triſte ad ſupplicium iuuenéſque, ſenéſque vocare
Auctorem tanti ſceleris. mora nulla, requirunt
Vitarium: atque illum fugientem per loca cernunt
Proxima: corripiunt diuortia nota petentem:
Et captum in medios ignes miſere trementem;
Abrahamúmque patrem auxilio, Moſemq́ vocantem.
Illius tunc flamma artus, atque oſſa redegit
Candentem ſubitò in cinerem ſpectante virorum
Multorum ingenti cœtu, populíque ruentis.

Scitari

Scitari è puero ciues, rerúmque ministri
Sacrarum: Quis te defendit ab ignibus? ille,
Pulchra suo, dixit, mulier me texit amictu:
Quæ gremio infantem puerum portabat: & à me
Dimouit crepitantem ignem, rutilásq; fauillas:
Ne teneros flamma alta meos exureret artus.
Illi persimilis mulier: mihi quæ super aram
Æde sedens visa est vestra. Tunc credidit ipse:
Credidit & genitrix pueri: & gens numine sancto
Afflata ardebat sacris se mergere lymphis;
Atque sequi Christum: fuso qui sanguine gentem
Morte sua humanam barathri de faucibus atris
Eripuit: summóque illam transcripsit Olympo.

Baculus Gregorij Neocæsariensis Episcopi in arborem.

Smo. D. N. GREGORIO XIII. PONT. MAX.

ARGVMENTVM.

CVM Lycus fluuius magno cum indigenarum damno sæpe campos inundaret: Gregorius in eius ripa baculum fixit. nec fluuius terminum illum transgressus est: & baculus statim in arborem creuit.

ALME *pater fidei tutamen & anchora nostræ;*
Quem Deus omnipotens, totiúsq; arbiter æui
Inter diuersos populos patrémque capútque
Constituit; sacroq; caput diademate cinxit;
Cuiq; dedit supra rerum moderamina reges:
Gregorio quæ pauca super noua carmina feci,

T *Nomine*



Nomine quem ſacro reddis, factíſque, dicaui,
Ut teneor, pater alme, tibi: ſitq́ hæc mea quamuis
Ruſtica vena; tamen ſcit te ſua carmina nunquam
Faſtidiſſe; agit vnde tibi pater optime grates
Immenſas, gaudétque legi ſe à principe tanto,
Qui tenet in terris Chriſti ſceptrumq́ locúmque:
Sub quo lætitia tollit ſe Dardana Roma
Aſtrorum ad rutilos cæli ſeptemplicis ignes.
Gregorius Neocæſareæ rector fuit vrbis,

Et

Et tanti columen regni; curamq́; gerebat
Sacrarum rerum, & ſacris ſollennia templis
Sacra miniſtrabat populo, populúmque docebat
Æterni præcepta Patris, quæ dixerat olim,
Duceret his noſtris vitam dum Chriſtus in oris.
Tempus erat, quo terra tumens genitalia poſcit
Semina; & ob lapſos piceis è nubibus imbres
Tecta natant paßim plenis agreſtia foßis;
Fluminaq́; alta ſecant ruptis nemora ardua ripis.
Tunc Lycus oppoſitas rapido cum gurgite moles
Saxorum ingentes, connexaq́; robora vinclis
Innumeris, ſtagnum in magnum, vaſtamq́; paludem
Traxerat; hibernis tumidus quam fecerat vndis.
Tunc adeunt trepidæ tanto in diſcrimine gentes,
Quæ Neocæſaream, vicinaq́; rura colebant,
Gregorium, cuius totis notißima terris
Fama erat, & probitas vitæ, & miracula certa
Mortali non facta manu, non carmine, & herbis;
Aſt ope diuina, & ſumma virtute parentis,
Qui cælum ex nihilo, terramq́;, fretumq́; creauit.
Poſtquam autem vidêre virum, precibúſq; rogarunt,
Illorum vt feßis rebus ſuccurreret; vtq́;
Egregiam eriperet tantis terroribus vrbem.
(Namque aliò montem aërium traduxerat, ædem
Conderet vt Patri æterno, rerumq́; parenti.)
Tunc ſenior ſolita motus pietate, ſuorúmque
Excidio, rapidum ſubitò contendit ad amnem
Per campos ſecum nemora, atq; armenta trahentem

Cum stabulis strepitu horrisono, & torrentibus vndis;
Non vllo subuectus equo, curruve sonanti,
Ast innixus iter baculo confecit acerno.
Atque vbi conspexit fluuium fecisse paludem
Immensam, & vasta indigenis cultoribus arua,
Illacrymans longum ingemuitque, Deúmq; vocauit
Auxilio positis genibus prope fluminis vndam
Gregorius: mox sic inquit: Da nunc Pater aures
Alme tuas faciles nobis: namque omnia solus
Tu potes; & solus ventis, pelagóq; tumenti
Imperitas; gentísq; tuæ miseratus acerba
Exitia, & duros casus, demersáq; rura,
Affer opem, iube & hos campos ne flumen inundet
Ulteriùs: tumidi nam tu maris æquora rubri
Curuasti in montis faciem, quò gens tua siccis
Transiret pedibus, littúsq; intacta teneret
Ægypto oppositum; Pharaonis & agmina pontus
Obrueret, Phariósq; duces, currúsq; volantes:
Iordanísq; tuo iussu placida vnda retrorsum
Flexit iter, tenuítque suos exterrita cursus,
Transiret donec populus tuus in noua regna,
Regna Palæstinæ cunctarum vberrima frugum,
Et lacte vbertim, liquidóque fluentia melle.
Cúmque suum fluuius iam deflexisset in alueum,
Hic tunc Gregorius supplex defixit in imam
Tellurem dextra baculum, quem ferre solebat.
Quid referam? dicto citius frondescere cœpit
Ille nouis foliis indutus, cortice, & vdo;

Aq́ue acta radice comas tollebat ad auras,
Et sua curuatis huc illuc brachia densa
Pandebat, serti in morem viridantis, & atra
Currentis fluuij ripas induxerat vmbra:
Qui veluti limes positus fuit inter & agros,
Inter & vndantem fluuium, vastamq́ue paludem,
Quæ solidam in terram, visu mirabile, versa est
Triticeæ & messis, viniq́ue, oleæq́ue feracem.
Et quoties tumet hibernis siue imbribus amnis,
Seu niue tunc liquefacta vdo sub vere quotannis,
Ille suos intra fines se continet, & non
Arua, domósque vltrà cursu deformat, & vndis:
Nam Deus hunc cæli audierat de vertice summo
Fundentem de more suo lacrymásque precésque.

In direptionem vrbis Nicosiæ.

AD NICOLAVM ORMANNETTVM EPISCOPVM PATAVINVM.

ARGVMENTVM.

DEPLORAT Cypri vastationem, Nicosiǽque direptionem. Dein Christum rogat, vt iram suam à nobis auertat, eámque in impios Turcas conuertat.

NVNC *quoniam Ismaria Turcarum rector ab arce*
Extulit, & belli signum, & crudelia bella
Mouit in insontes Venetos: quos fœdere rupto
Impius inuasit; dehinc Cypri vexit ad oras
Bellantum turmas, vrbémque obsedit, & illam
Diripuit: tu casum vrbis, plagámque recentem
Mecum vnà desle, cladem miseratus acerbam



Ormannette; ſuas cui tradidit ætheris auctor
Paſcendas pecudes, quæ mollia gramina tondent;
Téque bibunt liquidos fontes paſtore, leuéſque
Medoaci carpunt ſecura ad flumina ſomnos.
Turca ferox, animíſq; furens, infenſus, & hoſtis
Nominis ille tui, nunc clementiſsime Chriſte
Florentem Cyprum inuaſit furialibus armis,
Euertítque tuam gentem, fuſóq; tuorum
Sanguine inundarunt foſſæ; ceu flumina multis
Imbribus aucta ſolent ripis ſpumare; viróſq;,
Femineúmque genus, prædámque abduxit ad oras
(Relliquias belli) quà Boſporus inſonat vndis

Helleſpon-

Hellespontiacis, iacuere inhumata per agros
Corpora pugnantum, nec erat qui rostra ferarum,
Aut volucrum arceret, nec qui tellure iacentes
Obrueret terra iniecta; tua templa tuorum
Sanguine fœdauit miles pharetratus, & ense
Horridus, & nostri sitiens, auidúsq; cruoris.
Tu verò Pater omnipotens miserere gementum
(Qui summo tristes fundunt suspiria cælo)
Quos vinclis tenet ille (suæ ludibria genti)
Et (sint multa licet) tamen obliuiscere nostra
Crimina, nostrorúmque patrum, procedere nec tu
Longiùs hanc iram permittas; quæ velut ignis
Est accensa; tuas (in nos sed mitis) habenas
Effunde irarum in Turcam, qui téque, tuósque
Despicit, atque alium, non te vocat in sua vota,
Nec fundatorem cæli, terræq; fatetur;
Numen adumbratum sed adorat, & insuper illi
Templa dicat; precibúsq; idem tua templa nefandis
Polluit, atque tuas sceleratis ritibus aras.
Affer opem, dicat ne forsitan hostis: Vbi nam est
Illorum Deus? & dictis insultet amaris.
Hunc tu sterne solo, gentíque obsiste feroci;
Nostráque conspiciant vindictam lumina, qua tu
Disperdes meritis infensos cladibus hostes.
Tunc tua dicemus sacro facta inclyta templo
Ante tuam positi multis cum laudibus aram.

AD GVIDVM FERRERIVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

ORAT Deum, quem cuncta beatorum agmina continenter laudant; vt nos à Turcarum rabie protegat.



FERRATAM *dum tu Guido colis optime Cryptam,*
Otia Farnesi & cunctis loca grata poëtis,
Et medicis circumseptus tua corpora curas,
Reddis & assuetum robur, sollérsq; saluti
Consulis ipse tuæ, & morbo iam liber ab omni

Debita

Debita vota Deo ſoluis, Mariaq́; dicatum
Ingrederis templum poſt mœnia Tuſcula bello
Diruta ab Æneadum turmis populóq; Quirini,
Atque ibi ſacra facis candenti in veſte Sacerdos;
Tu mecum hoc ſacras ſupplex dic carmen ad aras.

Quem nos eſſe Patrem haud factũ, & ſine fine fatemur,
Et ſine principio; quem nos & credimus ipſum,
Illum ipſum è nihilo terras feciſſe, fretúmque,
Et cælum, cælique domos, hominéſque, feráſque,
Quo ſine nec folia vlla mouent: Nos reſpice ab alta
Sede Pater, vbi te aßidua celebrántque, canúntque
Laude acies iuuenum aligerûm; vatúmque piorum,
Incaluere Deo quorum ſacra pectora; & illi
Te laudant, quorum inſonuit terráque, marique
Vox, quà Sol oriens, & quà decedit, & altum
Æthera, terrarúmque orbem ſine luce relinquit:
Quíque etiam effuſo meruerunt ſanguine palmam:
Et muliebre genus, cuius fuit aurea cordi
Virginitas, & amor, & mens imbuta pudore;
Namque choros hic eſt caſtos gratißimus inter
Virgineos Patri æterno, ſuperíſque; tenétque
Sublimem ſedem; cuius caput eſt pia Virgo,
Qua Chriſtus naſci voluit; felíxque erit ille,
Qui mundi illecebras ſpernit, illáſq; peroſus
Contendit fœdo nunquam ſe ſubdere amori.
Atque tibi æqualem natum, verúmque perenni
Laude canunt; nec laude ſacer tuus eſt ſine magna
Spiritus. Ad dextram ſed tu dum, Chriſte, parentis

Æterni venerande sedes, nos tu quoque ab alto
Respicias, pretio ipse tuo quos sanguinis olim
Emisti, facilémque manum ne subtrahe nobis
Consuetam ferre auxilium: nam cernis Olympi
Alta sede sedens, in nos quæ nunc ferus arma
Impia Turca paret miseros terráque, maríque,
Quásque Asiæ vires secum vehat, & vocet omnes
Thessaliæ populos, Thracúmq; in bella cateruas,
Littora quæ seruant rapidi maris Hellesponti.
Hic dirum fert exitium, & bella horrida secum,
Armorum sonitus, belli & furor increpat omnis.
Hunc tumidis, Pater alme, immerge in fluctibus hostem,
Haud secus ac regem Ægypti, dum per freta gentem
Ille tuam ferróque petit, cursúq; fatigat.
Respice nos pressos tantorum mole malorum:
Namque erimus sine te, tanquam ratis acta per æquor
Turbine, & horrisonis ventis, piceáque procella:
Nempe tuam imploramus opem, velut arida longo
Tempore terra solet, quam deseruere cadentes
Nubibus è nigris imbres, quæ mæsta, notósque
Imbriferos sicco ore vocat, dum cernit aperta
Prata per, arentes herbas, sua pignora quondam.
Te freti in te vno spem nostram ponimus omnem:
Te nostras audire preces, te vota precamur,
Desere tantarum ne nos in turbine rerum,
Atque inter sæui funesta pericula belli:
Sit satis immitem toties egisse triumphos,
Nec semel, heu, nostras vrbes vexasse nefandis

Excidiis,

Excidiis, & victorem spolia ampla tulisse,
Bosporus angusta qua personat horrifer vnda.

AD ALOYSIVM ATESTIVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

HORTATVR Aloysium Card. vt secum celebret admiranda Dei opera: rogétque eum, vt nos protegat, Turcas profliget.



INSERVISSE *meis Aloysi nomina chartis*
Me tua non pigeat; quamuis sint digna cothurno

Sublimi, non his nostris dicenda cicutis
Ob longam ætatem attritis; age nunc cane mecum
Hoc carmen sacras æterni Patris ad aras:
Namque vides, quæ Turca ferox in nos ferat arma;
Quem nostra haud vnquam poterit subiungere classis
Bellantum ob numerum, nisi nos Deus adiuuet, & nos
Ipse suo clypeo tegat, & cælestibus armis
Tutetur, Thracúmque acies effundat in vndas.
Omnia dependent à te, cui summa potestas,
O Pater, est rerum, quas ingens circuit æquor.
Quis Solem, Lunæq́ globum consistere iussit
In medio cæli spatio, dum sternere gentes
Oppositas Iosue incubuit? vel in æquore rubro
Quis mersit Pharias vnà cum rege phalangas,
O Pater omnipotens, nisi tu? nam tu quoque solus
Astrorum innumeros ignes, cælumq́ creasti;
Et Solem, Lunámque. Patrem te maxima tellus
Atque suis cum fluminibus, magnísq́ fatetur
Æquoribus; manuúmque omnes opera alta tuarum
Concelebrant: quis nam, te excepto, rector, & auctor
Est orbis? tu te radianti lumine vestis,
Non trabea intertexta auro, non murice tincta.
Solus inaccessam nam tu colis ardua lucem
Astra super; quæ in te nostros intendere visus
Non sinit: haud secus ac, si quis sub sidere Cancri
Figere in aduersum Solem sua lumina vellet.
Ventorúmque superueheris per inania pennas.
Ipsa tuo iussu stat terra immota, cadúntque

Monti-

Montibus è celsis rapido caua flumina cursu:
Quæ gelidum tendunt iter in maria alta; nec æquor
Littoribus curuis spumat, nec rumpere fines
A te præscriptos audet. tu fulmina mittis
In terras, non Æoliis fabricata caminis,
Ut vani referunt Vates, tonitrúsq; coruscant,
Atque cadunt altis per te de nubibus imbres
Munere quo veniunt sata læta, & montibus alni;
Atque hortis flores, & gramina mollia siluis.
Quæq; etiam repunt, squamosáque corpora ponti,
Et cæli volucres, hominésque, ferásque creasti.
Omnia quæ pelago, & terra pascísque fouésque:
Nam pater es rerum, atq; opifex, & denique custos
Solus, & omnipotens. tu quas nunc fundimus audi,
Et ne sperne preces; hostis namque impius in nos
Arma mouet, rate & ingenti sulcabit apertum
Æquor, vbi ver exoriens tepefecerit altum
Æthera, nec Boreæ turbabit spiritus vndas;
Armatásque acies terra peditúmq;, equitúmque
Jam parat, & nostros armis inuadere portus.
Has pelago tu merge rates sator optime rerum.
Aut quatere audebit si nostras molibus arces,
Nobiscum aut campis acie decernet apertis:
Hunc sternat tua dextra solo, sæuásq; cohortes;
Haud secus ac quondam rapidi Cisontis ad vndas
Sisara cùm cecidit, Jabínque, atque impius Ammon.
Namque Palæstinæ gentes cecidere tuorum
Pugnantum gladio, & cæsæ iacuere per agros,

Et tumuli ſine honore, velut cinis, & fimus aruis:
Cognoſcant vt te eſſe Patrem, Dominúmque, Deúmque.



ANTONIO PERENOTTO
CARDINALI GRANVELLANO.

ARGVMENTVM.

PRECATVR Deum pro ſacra claſſe contra Turcas.

TV *mecum Perenotte, regis qui littus vtrumque*
Auſoniæ, magno poſitum ſub rege potentis
Heſperiæ, Tagus auriferis quam ſcindit arenis
Aureus, exequeriſq; tui mandata Philippi,

Tendere

Tendere se classis dum sacra accingit in hostem,
Ante aras effunde preces de more vetusto,
Ad cæli terræq; Deum, rerúmque parentem,
Ut iuuet auxilio classem hanc, ventísq; secundis;
Atque manus armet nostrorum in prælia, & illos
Edoceat, dextráque tegat, virésq; tyranni
Viribus ipse suis obtundat, & obruat vndis.
Illos deficiant vires, animíque, nec vlla
Spes illos alat vlteriùs: redigantur at omnes
Ad nihilum; exiguus ceu currens riuus arenas
Per bibulas, cùm Sol campos salis vrit, & æther
Feruet ob Icarium sidus; passímque per agros
Languescunt herbæ, & rimas agit arida tellus.
In nos illorum nec vulnera dirigat ensis,
Nec mortem turbatæ acies, peditúmque manipli
Effugiant miseram: sed cùm bella aspera ponto
Permiscent, animam expirent fluitantibus vndis.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM CARDINALEM.

ARGVMENTVM.

GRATIAS Deo agit, quòd nostræ classi victoriam tribuerit. mox eum multis laudibus celebrat. Deinde Ioannem Austrium supremum in eo bello ducem ei commendat. Postremò Alexandro Card. de Farnesij iuuenis ex eo bello reditu gratulatur.

IAM *tandem, Pater omnipotens, dignatus ab alto*
Es nostras audire preces, gemitúsque tuorum,
Ferre & opem nobis tantarum in turbine rerum,
Et post bellorum tam sæua incendia, tótque

Excisas



Excisas ferro gentes, amissáque regna:
(Nam nec erat spes vlla fugæ) furibundus & hostis
Terruerat pontum, & terras victricibus armis,
Et classe Adriacas valida penetrauerat oras,
Oppidáque & pelago, & terris inuaserat vrbes:
Atq; inimicum ignem secum, cædésque ferebat.
Induerat quos se in laqueos, nec senserat; & nec
Quid posset, Rex ô cæli, tua dextera, norat.
Vnde agimus tibi nunc tanto pro munere grates,
Et templis pia thura damus: per templa, viásque
Debita sacra tibi canimus: nam dextera partim
Threiciam classem tua mersit in æquore: partim

In

In nostras impulsa manus est, te duce; & ingens
Turcarum intepuit respersus sanguine pontus.
Nam nec habet certas tua magna potentia metas,
Nec præscripta tibi est: sed tu potes omnia solus,
Tellurem & pelagi liquidas conuertere in vndas,
Et mare tellurem in solidam. tibi paruit æquor
Æquor Erythræum; Isacidæ dum robora gentis
Transirent vasti sicco pede marmora ponti,
Atque minas fugerent duri Pharaonis, & arma:
Namque tuo iussu discessit tunc maris vnda,
Hinc, atque hinc saxi in faciem durata repentè,
Hebrææ inferrent gressus qua parte phalanges;
Quæ retro tunc deinde fluens, coniunctáque currus
Inuoluit pelago, Mareotidáque arma sequentum.
Nunc verò non se pontus diuisit: at vnda
Strata, siléns que (tuo sed non sine numine) ventus
Auxilio nostris fuit: & tot clara per annos
Præteritos virtus, & formidabile nomen
Turcarum in ventos abiit. tunc gentis Iberæ,
Atque Italæ ad cælum bellando gloria sese
Extulit, inuictámque olim per cærula classem
Haud nostræ timuere rates: non impetus illos
Barbaricus iuuit, sparsúsq; per æquora clamor.
Nam nostra haud Lunæ speciem vexilla ferebant:
Sed cruce pendentem Christum palmásque, pedésque,
Traiectúmque latus ferro, paritérque parentem
Aspera dilecti miserantem vulnera nati.
Gloria tota tua est: neque enim victoria nostro

 Consilio,

Consilio, aut armis parta est, aut viribus vllis.
Et miles ferus ille suo sperabat in arcu,
Et gladio; quo iam toties cæso hoste triumphos
Egerat, & victor prædas portarat ad oras,
Insonat angusta quà Bosporus horrifer vnda.
Quid dicam, ô Asiæ regnator sæue? Deus te
Quem colimus, meritóque sacras veneramur ad aras,
Proteret, haud aliter quàm læti graminis herba
Cornipedis pede pressa gregis. dicámque ego: Vidi
Regem Asiæ florentem opibus, regnísque potentem,
Elatumque animo, & tumidum præcordia fastu,
Non secus ac cedri alta comas sublimibus arbor
Nata in verticibus Libani: sed luce sequenti
Dum redeo, rex non vsquam: sed nec leuis vmbra
Corporis illius, nec gloria parta sub armis
Vlla erat, aut rerum vestigia facta suarum,
Ceu flos æthereas quem sustulit Eurus in auras.
Et nunc tempus adest, quo te sulcasse pigebit
Ionios fluctus, & classe intrasse profundum
Adriacum: tuáque arma armis concurrere nostris
Permisisse: Deus cùm nos nunc protegat, & nunc
Pro nobis (vt tu ipse vides) bella aspera pugnet.
Tunc ego lætitia ingenti cumulabor, & axes
Vertice contingam cæli: dehinc ora resoluam
In laudes, ô Christe, tuas, magníque parentis,
Qui per te pontum, & tellurem condidit, & non
Se folia vlla mouent tanti sine numinis aura.
Cessabo & nunquam tua facta intexere nostris

Carminibus, pariterque tuos memorare triumphos:
Nam victi cecidere hostes; paucique (cruore
Aspersi tamen) ad sedes rediere paternas:
Et sua viderunt versis vota irrita rebus.
Te mare, te tellus, cæli te regia laudat,
Cælestésq; chori, lætæq; per oppida gentes
Europæ, quæ te dominum, patrémque fatentur
Cunctorum; & magna celebrant te laude, tuúmque
Nomen; & annales condunt, quibus inclyta facta
Describunt, quæ dextra potens tua fecit in vndis
Joniis; nostri vt poßint hæc scire nepotes;
Téque colant vnum, penes est quem quicquid ab alto
Aspectat cæli cùm Sol tenet arduus oras:
Jstiúsque sacræ memores sint lucis, & aras
Ante tuas tibi digna canant præconia laudis.
Tuq; illorum animas, fuso qui sanguine pro re
Romana, sacrísq; tuis, patriáque ruenti
Vulnera per mortem insignem petiere sub armis,
Sidereas supra sedes, quà fulget Olympi
Regia, duc tecum, & tuta statione repone.
Et vos ætherei fontes, quos non vagus imber
Verberat; aut pedibus turbat fera, vel grauis æstus,
Aut ramis folia arboreis delapsa: sed estis
Perspicui, gelidíque; Deum laudate, manu qui
Pro nobis valida nostros pugnauit in hostes.
Tu quoque Sol, qui vidisti sublimis ab alto
Æthere pugnantes pacata per æquora puppes:
Et nunc tu canere, atque vrbis per compita pompas

Ducere sollemnes lætus nos aspicis: heu quàm
Exiguæ sunt, & tenues, te iudice, grates
Pro tantis in nos meritis, quæ contulit ille,
Ille sator rerum, & tanti certaminis auctor.
Iam circum septem colles, quos diuidit vnda
Thybridis, & cursu præclaram interluit vrbem,
Lætitia magna exultant: atque ardua voces
Terrarum lætas ad sidera lucida iactant,
Atque nouis resonant paßim concentibus auræ
Ipsa coronatis Tuscum mare cornibus intrant
Flumina, quæ currunt de fontibus Apennini;
Certáque venturis declarant gaudia sæclis.
Tu verò ante alios Venetûm clarißime Princeps
Nunc longè es felix, sub quo Deus optimus hostem,
Hostem opibus, simul & terra, pelagoq́; potentem
Mersit in Ioniis vndis; qui fœdere rupto
In vos insontes Venetos iam verterat arma;
Et Cypri regno expulerat, victorq́; tenebat
Totius pelagi imperium. Sed det tibi tantum
Omnipotens vitæ spatium, quò cernere poßis
Illum amittentem terras, amisit vt æquor,
Et dantem meritas effuso sanguine pœnas;
Pacatum & videas lætis succeßibus orbem.
Tu iuuenem, Pater alme, tua pietate, tuúmque
Ob numen serua incolumem: quem bella gerentem
Indomitas contra gentes, populósq́; rebelles
Vidisti toties ad curui flumina Bætis:
Germaníque simul referentem in regna Philippi

Victri-

Victrices aquilas, & cæsis hostibus arma:
Atque ipsum hanc etiam voluisti ducere classem,
Atque illi summam voluisti credere rerum;
Effice, vt ipse etiam terras in regna reducat
Æneadum amissas olim: lauróque reuincta
Roma comas, Macedûm populis, Bactrísq; subactis,
Quíque colunt Libyam, & Nilum, det iura, iugúmque
Excutere impositum possit, violentáque fræna.
Huic etiam, Pater omnipotens, da, maior vt ipso
Sit patre; bellando quamuis tot vicerit vrbes,
Viderit & captos reges, fusásq; phalanges,
Et regno sumptis in regna reduxerit armis
Expulsum regem, quà Bagrada currit in æquor.
Hæc tibi Alexander cecini, dum tu colis oras,
Vmbrosis gelidus quas Farfarus irrigat vndis,
Commissísq; tibi populis ciuilia reddis
Iura tuis, ritúsq; sacros, & templa reuisis;
Crimináque, & vitas discis: tu perlege quæ iam,
Iam toties votis optasti, & gaudia mecum
Tu cape, & ante aram pronus suppléxque age grates
Immensas Patri æterno, qui mersit in vndis
Ioniis Turcarum acies, inimicáque vela;
Atque alias summo grates persolue parenti,
Qui charum in patriam, sedésq; reduxit auitas
Farnesium iuuenem, qui te quoque nomine reddit,
Duxerat ad bellum quem clarus auunculus armis,
Illius virtutem animi, roburq; iuuentæ
Admirans, puer aduersos dum tendit in hostes.

AD BARTHOLOMÆVM FERRIVM LVGIENSEM, ORDINIS PRÆDICATORVM, INTERAMNENSEM EPISCOPVM.

ARGVMENTVM.

INVEHITVR primò in Selimum, eius arrogantiam irridens. deinde in Constantinopolim nostris spoliis diuitem. Postremò precatur à Deo, vt nobis auxilietur, Turcas perdat.



VRBEM *præclaram dum tu colis optime Ferri,*
Sulfurea quam Nar albus præterfluit vnda:
Atque doces populum diuini semina verbi:

Quo

Quo duce commissæ pecudes noua gramina carpunt;
Optatósq; ineunt subter nemora ardua somnos;
Atque bibunt puras vicini fluminis vndas:
Turcarum contra regem quæ carmine dixi;
Ionio postquàm persensit in æquore classem
Amissam; & nostros victricia signa tulisse
In proprias sedes, intentis auribus audi.
Quæ tibi mens Selime fuit, postquam æquore classem
Ionio amissam nuper, stragemq; tuorum
Audisti? qua confisus te posse putabas
Non solùm Adriacos fluctus, Tyrrhenáque ponti
Cærula, & Hesperij maris æquora, sed quoq; vastos
Cannibalum penetrare sinus, victórque referre
In patriam prædam ingentem: regésque, ducésque
Ante tuos currus captiuos ducere, & vrbem
Per mediam, rapida quam Bosporus alluit vnda,
Ire inuectus equis, auro, gemmísq; superbus;
Poscere & æthereos Patris omnipotentis honores.
Namque mare vndabat bello, atq; iniecerat atrum
Tunc hominum terrorem animis tua barbara classis:
Sed nunc, en quantum tua te spes vana fefellit,
Atque incerta, vides: quoniam sic euenit illi,
Qui numero bellantum audax spem collocat omnem
In regnis, opibúsq; suis; nec cogitat iram,
Quam Deus in sontes, atque in secla impia vertit:
Et nunc à Venetis Epiri in littoris ora
Audisti euersas arces, fusásq; phalanges:
Ne dubita, ipsa manus Domini fortísq; poténsque,

Quæ

Quæ gentem, classemq; tuam, mox te quoque victum
In nostras eadem ipsa manus, Turca impie, tradet.
Atque manus geminas vinctus pedes ibis ad alta,
Permixtus seruis, Capitolia, non sine dura
Compede, & insignes iuuenis aget ille triumphos
De te sublimis curru; qui nuper in vndis
Joniis (ducente Deo) clasśemque, tuósque
Ductores pugna nauali vicit: & ira
Tum magna Pater accensus, noménque geniúsque
Delebit Selime tuum; veluti per aperta
Plana lutum, valido aut puluis disiectus ab Euro.
Jnq; tot ærumnas commissa ob nostra tyranne
Crudelis nos incidimus, quarum haud tua clasśis
Causa fuit, non turmæ equitum, peditúmque cateruæ:
Sed Deus ipse tuas, nobis iratus, in iras
Nos miseros toties concesśit, & oppida, & vrbes.
Et nunc, cùm sit nos cælo miseratus ab alto,
Et precibus nostris non obstruat, vt priùs, aures:
Jras in te acuet, quas olim exercuit in nos.
Atque etiam tantis vrbs quondam assueta triumphis,
Nostrorum & spoliis diues, quam nunc ferus ille
Selimus premit imperio, tu turturis instar,
Quæ nuper thalami consortem amisit, & implet
Flebilibus nemoris nigrantem questubus vmbram;
Mortua nauali pugna, disiectaq; ponto,
Et monstris laniata auidis tua corpora defle,
Et pro gemmanti palla te vestibus atris
Jndue, & obscuris lacrymans te conde tenebris,

Tantæ

Tantæ insperatæ cladis testata dolorem
Insolitum: dehinc lætitiam, ludósq; rependę
Exactos gemitu mæsto, casúq; recenti.

AD SILVIVM ANTONIANVM ROMANVM.

ARGVMENTVM.

PRECATVR Deum, vt Turcarum classem in nos paratam perdat, nostram tueatur. Selimi impietatem execratur. Dei Opt. Max. ex quo cuncta pendent, opem implorat. Hortatur Christianos Principes ad suscipiendum cum Turcis bellum. Postremò inuehitur in hæreticos.



A TENERIS *miro coluisti semper amore*
Et Phœbum, & faciles, ô Silui candide, Musas.
Et memini te cantantem vidisse sub vmbra
Populea dignum Musis, & Apolline carmen
Thybridis ad patrij ripas. Musisq; relictis,
Applicuisti animum studiis maioribus, & te
Orantem coram Romano Principe vidi,
Purpureo Patrum toto admirante Senatu.
Nunc mecum has effunde preces. nam vanus Apollo,
Et chorus Aonidum nostris longè exulat oris.

ZANCLÆOS *liquit portus tua classis, & oras*
Trinacrias Pater omnipotens, noua bella parantem
Turcarum contra regem, tellure, marique,
Atque incumbentem fractas sarcire triremes,
Littoreisq; locis equitum disponere turmas.
Non aliter leo sæuit agris, infrendit & ira
Dentibus, ob thalami consortem in vallibus Afris
Amissam, quam venator Massylus ad amnem
Cinyphium silua errantem prospexit, & arcum
Intendens fregit telis lethalibus armos;
Quæ iacuit densis nemorum moritura sub vmbris:
Quàm ferus hic classe amissa! Pater has age puppes,
Quas reparat nunc diuersas, vbi per freta ventos
Æolios ratibus dederit Byzantius hostis.
Corpora descendant vnà cum milite & armis
In vada cæca maris, veluti deiectus ab alto
Monte lapis latum in spatium, vallémque profundam.
Et tua in has gentes ira incandescat, vt ignis

Accensus

Accensus nemore in magno, quem flatibus Auster
Aggreditur validis, miscétque incendia passim.
Tu verò nostræ tranquillas dirige classi
Per pelagus, Pater alme, vias: ne murice saxi
Illisa, aut scopulis, valido aut vincatur ab Euro.
Turca hominem colit infamem, cui templa sacrauit
Plurima, & ante alios miro veneratur honore.
Condidit hic leges, quæ sunt iussa impia; namque
Compellunt scelerare manus, atque arma cruore
Humano, regnísq; suis vi trudere gentes.
Tu verò Selime, tenes qui indebita regna
Ob crudele odium, discordiáque arma potentum
Ausonidum, quid sæue tibi, tute ipse videbis,
Eueniet; cùm non vltrà gens Itala certet
Inter sese odiis? viden' vt sit iam tibi adempta
Spes omnis posse vlteriùs tua tendere vela,
Ut priùs; atque tuas inimico in littore puppes
Sistere, & Ismarias prædam conuertere ad oras?
Frustrà animis elate geres cum milite forti
Prœlia, iam dudum quem misit Iberia bello
Aspera, & Ausoniæ tellus assueta triumphis
Barbaricis; non cum turmis, equitúmue cateruis,
Quæ ripas habitant Euphratis, opimáque regna
Persidis, atque domos Arabum, Nilíque fluenta.
Ante igitur quàm Sol nobis se ostendat, & ante
Quàm cadat, ô rex omnipotens, te nostra sonabunt
Nablia, te citharæ; nec te mea lingua tacebit,
Dum tua tot benefacta canam: nam quis dedit hostem

In nostras, Pater alme, manus; quem vicimus vndis
Nuper in Ioniis, nisi tu? vel per freta quis nunc
Perducet classem hanc, qua personat Hellespontus;
Quísve vrbem caput imperij, vicináque circum
Oppida tot capiet, nisi tu Deus, & tua fortis
Dextera? non ferrum, non vis humana valeret:
Nam regum rex es; manuumq́; opera alta tuarum
Sidera sunt, nec non quidquid terræ ambitus ingens
Continet, & solus ventis, pelagíque procellis
Imperitas; præsénsq́; tuos, siue æquore vasto,
Seu pugnant tellure, iuuas. das denique cunctis,
Auxilio qui te precibus, votísq́; vocarunt,
Ire triumphali deuicta per oppida curru.
Vos verò queis laudis amor, quibus inclyta cordi est
Gloria, & insignis factis extendere famam;
Quique Deum colitis verum, non numina falsa;
Vertite in infensum Christi vexilla tyrannum
Threicium, & vires validas effundite in hostem,
O cuncti Europæ reges: & fœdus inite
Æternum inter vos, & opem date: cernite vt æquor
Ardeat armata classi; quæ tendit ad oras
Odrysias, secúmque vehit fortissima bello
Pectora, quæ Thybris, quæ Bætis misit in arma;
Et quæ magnanimus Venetis Leo nutrit in oris,
Deducet quæ dextra Dei omnipotentis ad oras,
Quas optant; illósq́; tegens amissa reponet
In sceptra; atque armis succedent vota secundis:
Te quoque commoueant, ô Rex, cui Gallia paret

Inclyta

Inclyta tot bellis, maiorum exempla tuorum.
Illi etenim Solymas multo cum ſanguine terras
Hoſtili eripuere manu, & crudelibus auſis.
Quis neſcit ſacrum bellum, victriciáque arma
Gallorum, & ſpolia ampla altis pendentia templis?
Auxilióque iuua hanc claſſem, quæ tendit ad oras
Helleſpontiacas, vt ferro perdat & igni
Turcarum puppes, vicina atque oppida ponto.
Inſuper aſpirantem illum non cernis ad orbem
Terrarum, inq; dies aliena inuadere regna?
Nam modò ad Heſperios populos, modò vergit ad Indos,
Et modò quà ſpirat Boreas, modò quà grauis Auſter.
Illi nulla quies, regnandi eſt tanta libido,
Et ſceleri ſcelus accumulare, & ad arma referre
Cuncta, nec eſſe locum pietati, aut legibus vllis.
Et quis erit demens adeò, qui dicat, eundem
Vlli vnquam ſeruaſſe fidem? ſed fallere ſemper
Aſſuetum. Veneti norunt, quibus aurea Cypri
Regna tulit, fregítque fidem: ſed conditor orbis
Illum ipſum affecit pretio, quod non ſine luctu,
Lamentiſq; recenſebit Selimia proles.
Nec dubius belli eſt euentus. nam Deus alto
Proſpectat cælo noſtras freta ſalſa carinas
Sulcantes, qui nos mitis non deſeret vnquam:
Non ſecus ac verus paſtor, qui armenta, ſuáſque
Paſcentes cognoſcit oues, paſtáſque ſalubrem
Ad fontem pellit, ſeróque ad ſepta reducit
Veſpere, & in virides ſiluas agit, altus vbi Sol

Luce noua pelagi campos, cælumq́; reuisit,
Acribus atque oculis circumspicit omnia sollers;
Atque dies noctésq; vigil, pecus omne luporum
A rabido morsu, positis custodibus, arcet.
At vos, ô miseræ gentes, iam tabida membra;
Quæ vos supplicia exspectant post funera? namque
Spreuistis Dominíque vias, rectúmque piúmque;
Carpitis & tanquam pecudes aconita sine vllo
Custode, & sine luce etiam; quæ venit ab alto
Lumine fulgentis cæli, & felicibus oris.
Excutite è vestro tenebras iam pectore; & arma
Induite æternæ lucis: procul omnis abesto
Fastus, & insanæ mentis furor, iráque præceps
In nos: Romanúmque patrem, qui debita Petri
Sceptra, vicésq; tenet, vigilans, & vota precésque
Pro vobis fundit, Deus vt iam respiciat vos;
Inq́; domum æternam, quæ Christi est regia, ducat;
Atque manus contra crudelem armate tyrannum
Threicium; comitésq; sacræ vos addite puppi.
Vos estis miseræ ante alias; nam clauditis aures,
Obscuro deprensa velut solet aspis in antro,
Ne magicos cantus, inimicáque murmura apertis
Auribus admittat; cantatáque tecta relinquat,
Seruitiúmque cauo durum ferat abdita ligno.

AD

AD IOANNEM BAPTISTAM DIONYSIVM AVXIMATEM IVRISCONSVLTVM.

ARGVMENTVM.

SVB Ioannis Baptistæ persona gratias agit Deo, quòd se periculoso morbo liberauerit: rogátque eum ne se deserat.



INDICTVM *non te nostris, Baptista, silebo*
Versibus ob candorem animi, rebúsq; gerendis
Indefessum animum; legere hæc, quæ Gambara supplex
Nomine pauca tuo cecini, haud, Baptista, pigebit,

Æterni

Æterni Patris ante aram; cùm Sirius agros
Vreret, atque tuos artus torreret anhela
Febris, natiuúsq; calor conuersus in ignem
Ferueret, atque siti vehemens te affligeret ardor,
Esset & ipsa tuæ iam spes erepta salutis,
In dubiis positos homines quæ sola periclis
Solari solet, & tristes auertere curas.
Alme Pater, qui me reuocasti à limine lethi
Nuper ad hoc dulcis vitæ spirabile lumen,
Cùm membris extorqueret vis tabida vitam,
Claustráq; nutarent animæ, mussaret & omnis
Victa graui medicina metu: sed numine victor
Conualui, Pater alme, tuo; non arte Melampi,
Non herbis, quas Appidani succidit ahena
Falce sagax mulier, non quas radice reuellit.
Dum verò mea membra vigor reget igneus, olim,
Nunc, & semper agam tanto pro munere grates.
Ipsa etiam mea lingua canet te, cùm fugat astra
Sol oriens, & cùm tenebras inducit Olympo;
Et te promeritum dicet: nam qui tibi soli
Seruit, & ex animo credit; tua non iuga collo
Dulcia detrectans, illum tutaris ab omni
Diluuio maris irati, puppimque reducis
Innocuam, sociósq; laborum ad littora nota:
Et dicis: Quia te mihi nunc committis, inanem
Vlteriùs spem non pasces; quotiésq; vocabis
Auxilio me in vota malis oppressus acerbis,
His ego te eripiam subitò, duces & in æuum

Longius-

Longinquum placidam procul omni à turbine vitam:
Monstrabóque viam, cæli quæ ducit ad alta
Atria, & ad superas sedes stellantis Olympi.
Respice me, Pater alme, tuo cum numine: nam te
Haud mea vota latent; tu me rege, tuq; sub vmbra
Alarum tege me solita pietate tuarum.
Vt ceruus silua à canibus deprensus iniqua,
Mergere fonte cupit longo labra arida cursu,
Postquam vngues, morsúsq; canum, locáque aspera victor
Euasit, non insidias, non tela sequentum
Permetuens, nemorum recubat securus in vmbra.
Sic ego te, Pater omnipotens; nam lucidus es fons,
Dulcis, & egelidus, liquidarúmque auctor aquarum.
Namque tuo viuos fontes, & flumina iussu
Fuderunt rigidæ cautes, cùm duceret olim
Pinguibus è campis, quos Nili interluit vnda,
Ad vitreas Jordanis aquas, promißáque regna,
Post domitum signis regem, mersumq; profundo,
Dilectum populum per mille pericula Moses.
Adq; tuos siquis fontes (ceu mollia fragra
Verna puer legit in siluis; siue area flauos
Alta teret paleæ culmos; siue vua colorem
Jam ducit matura suum, seu flumina pigro
Stent immota gelu per brumam) accedat, & vndam
Hauriat, haud vltrà sitiet; nec vallibus altis
Perspicuos fontes, aut vitea pocula quæret.
Ad quem igitur miser, & rebus diffisus egenis
Confugiam Deus omnipotens? ad te nisi, certum

Præsidium miseris? tu clemens dirige nostras
Per pelagus, Pater alme, vias: da sistere portu
Naufraga vela; voléns q; tuo nos numine serua.

Precatio ad Deum sub persona IOANNIS BAPTISTÆ STELLÆ, Monachi sancti Benedicti Cassinensis.

ARGVMENTVM.

SVB Ioannis Baptistæ persona se, suósque Deo commendat. Deinde eum rogat, vt nos à Turcarum rabie tueatur, eósque perdat.



DA

DA *mihi conſuetum robur, nec deſere: namque*
A teneris in te poſui mea vota, meámque
Spem, Pater omnipotens, omnem, non ipſe paternis
In rebus: non ignarus, te qui colit vnum
Ex animo, & tua ſancta libens mandata faceßit;
Sit rapidæ quamuis Maleæ penè obrutus vndis;
Ionióue mari ventis ſurgentibus, illum
Incolumem ſeruas: quíque in te viuit ab omni
Semotus rerum cura, populíque tumultu.
Non eget Attalicis opibus, rerumq́; potentum
Auxilio aduerſis in rebus. nec magis vlla eſt
Victima grata Deo, quàm mens ſincera, fidéſque,
Et vacuum ſceleris pectus: ſed tu mala noſtræ
Gaudia pelle procul mentis, ſeruáque precantem
Méque, meóſq́; ſimul; qui te, de more, canunt, cùm
Purpureus Sol exoritur, vel cedit Olympo:
Tuq́; etiam miſerere Italûm; atque auerte furentem
Arcibus Auſoniis vnà cum milite ſæuo
Turcarum regem, iam nunc maria aſpera cælo
Miſcentem, & portus armata claſſe petentem
Heſperios ſub vere nouo; qui perdere ferro
Nos quærit, terráſq́; tuas, extremáque regna
Inſequitur: rapido immergat tua dextera claſſem
Iſmariam pelago, cùm primùm littora linquet,
Inſonat anguſta quà Boſporus horrifer vnda;
Fictilis vrna velut delapſa è culmine tecti
Saxa ſuper; ſic illa cauis impulſa cauernis
Spumantes ſcopulos inter frangatur, & vndas.

AD AVRELIVM PORTVLACAM BRIXIANVM, IN PATRIAM EVNTEM.

ARGVMENTVM.

AVRELIVM laudat, eique in patriam proficiscenti bene precatur.

AVRELI nec tu nostris indictus abibis
Carminibus, qui diues opum, clarúsq; parentum
Sanguine, quique animi præfulges dotibus inter
Tot summos ciues, quorum Mella irrigat agri
Æquora; namque & opes, & opem das largus egenis,
Inq; pios vsus conuertis quæ tibi iure
Naturæ liquit genitor, nec publica curas
Munera, sed tota admirans colis omnipotentem
Mente Deum, procul à populi, rerúmque tumultu.
Te Deus in patriam omnipotens comitetur euntem,
Humani generis defensor, téque reducat
Ad nos incolumem. atque vtinam spem ferre tui me
Hanc sinat ille idem Deus, & mea vota secundet:
Namque tui desiderium non effluet vnquam
Ex animo, Aureli, nostro, te Brixia donec
Ingeniis, opibúsque patens, armísque tenebit.

DE

DE LAVRENTIO GAMBARA CARMEN IOSIPPI VASSELII LVCENSIS.

CARMINIBVS *fastos, fabellas, bella, & amores,*
Fallacésque deos, heroës, sidera, cultus
Terrarum, pastoris opus, magalia, mores,
Et leges, Lapithas, Centauros, monstra, Cyclopas,
Naturas rerum, caussas, hominúmque labores,
Mutatas formas, fortunas, crimina, vitas,
Et mortes, paces, regúmque, ducúmque triumphos,
Priuatásq; domos, vrbes, & publica gesta,
Quicquid in orbe patet, cæloque fluente mouetur,
Mille per immensos annos cecinere poëtæ.
Nil horum liquêre, quibus terrena voluptas
Quæritur, & mundi sapientia crescit inanis.
At pauci (ducente Deo) diuina canentes
Carmina, cælestis perflati numine amoris,
Sideream docuêre viam. Post Dauida princeps
Gambara sublimi cecinit cælestia versu,
Pectora queis vera pietate fidelia complet,
Perlegat omnis amans Christum, Christóque probatos:
Sentiet & sibi tunc præsentia numina adesse,
Atque soluta malis referet præcordia curis.
Mens erit in cælis, terras licet æthere longè
Incolat ille, pius dum spiritus intret Olympum.
At vos, qui cælum colitis, sedésque beatas,

Quíque Dei faciem cernentes, gaudia vera
Discitis, humanæ miserati incommoda sortis,
Laurenti, Antoníque senex, Hieronyme doctor
Scriptorum, Pueri, Margaritæq́, Magíque,
Et tu præcipuè, Virgóque simul, genitríxque,
Carmina sacra quibus scriptor, laudésq́ dicauit,
A rectore poli prece nobis, Christicolísque
Impetrate bonis, vitam sine crimine longam,
Æternámque mihi lucem, celebríque poëtæ:
Vnum, quod miseros mortales poscere dignum est,
Gratius atque Deo, quo nil petitúrque, datúrque.

In D. Antonium Patauinum.

ACHILLIS STATII LVSITANI HYMNVS.



VOS *alias laudes aliorum dicite vates*
Diuorum, liquidi quos cepit regia cæli,
Hoc opus, hæc dum ſit tantum mea cura, labórque,
Aſtrorum decus, & terrarum numen amicum,
Laudibus Antoni meritis te ferre per orbem
Heſperium, ſeu quà Tyrrheni litoris oram

Attingit,

Attingit, seu quà vastis pater intonat vndis,
Et fessum cursu Nereus Titana diurno,
Fumantésq; cauo Phœbi lauit amne iugales.
Scilicet hic ille est, quo sese iactat alumno
Vesper, & ætherio tantum se tollit Olympo.
Namque vbi cæruleas Phœbo tendente sub vndas
Accendit seros vesper pulcherrimus ignes,
Huic patria est, diuumq; tulit felicior ora
Eximium Hispanæ gentis decus. at fruere ista
Laude prior, patrióque caput fer ad æthera diuo,
O Asiæ, ô Libyæ mea Lusitania victrix.
Idem qua Phœbo venienti cedere vesper
Incipit, albentíque perit fax aurea mundo,
Cedentem, vidítque poli conuexa petentem
Aligerûm cœtus inter, largáque coruscus
Luce procul pater ipse hominum, pater ipse deorum,
Vultu, quo nubes abigit, æthrámque serenat,
Sic meritum amplexus cælo accipiebat aperto.
Nec tantum Hesperiæ nouerunt numina gentes
Diue tua, hæc nigri Æthiopes, & decolor Indus,
Hæc & diues Arabs, extremæq; incola terræ,
Græciáque, & Septem propius subiecta trioni
Gens Rhiphæa colit, superúmque per ardua cœtus
Certatim laudes tibi, gratáque carmina dicunt.
Namque canunt, vt tu primi sub floribus æui
Nobilium sedes, & blandimenta parentum
Dum fugis, attollens animósq; & lumina cælo
Prima rudimenta, primósq; haud molliter annos

Sedibus augustis templorum adfixus, & aris
Ante diem veniens in noctem serus agebas;
Crescebant anni, notæq; in pectore flammæ
Crescebant, magis atque magis pia corda, medullásque
Est amor, atque ingens veræ pietatis imago.
Quid faciat? namque æthério puer æstuat igne,
Nec sese capit ipse, hominum consortia vitat,
Fastiditque lares, & limina nota parentum.
Est in secessu patriæ sub mœnibus vrbis
Relligione sacer locus, & sacra tecta piorum,
Quos magnum decus Hipponæ Sidonius heros,
Totq; virûm, totq; è populorum millibus olim
Discreuit, niueis insignes vestibus omnes.
Huc cursu rapuit puer, ac se in tuta recepit.
Ac veluti si fors nigrantum turba volantum
Se niueæ circumfudit per inane columbæ,
Non illa inuisum genus, obscenásq; volucres
Ferre potest, magnis sese conatibus effert,
Sed sublime volans, terrásque atque æquora tranat,
Intra candentum veniat dum tecta sororum
Concolor, & medio pauitans etiam agmine sidat.
Illum solliciti nimium quacumque parentes
Quæsitum tandem inueniunt, certántque latebris,
Spémque domus, & solamen, requiémque senectæ
Eripuisse suæ, frustrà conantibus ille
Effusus labor omnis. Eunt, redeuntq; videndi
Ardentes studio, miseris ea sola voluptas
Est super, atque oculos optato pascere vultu.

Colloquij neque enim alterni fit sæpe potestas,
Quóque modo possunt, & quis licet artibus, ægrum
Solantur desiderium, sæuumq́; dolorem.
Ille autem non fert lacrymas, non ora parentum,
Signaríque oculis sese dolet vsque suorum,
Quos clarum genus antiqua dat stirpe propinquos,
Visentúmque odit studia, atque inuitus inane
Officium videt; illius namque hæret in vno
Mens defixa polo, nec amat, nisi quidquid ab illo est.
Nec mora, digreditur; concessum id namque, quod illos
Non locus vnus habet, nec habet regio vna sodales.
Venit & optatos quarta post luce recessus,
Inter vitiferos qua leni flumine colles
Munda fluit, colles hinc, atque hinc cernere circum est
Vndantes oleis, vndantes meßibus agros.
Vrbs ingens veteris fundata crepidine saxi
Apparet, fluuijq́; infra labentibus vndis
Imminet, ipsa suos colles, sua despicit arua.
Hæc olim, latè qua tempestate dolosa
Se Libyæ gens in campos effudit Iberos,
Lusitanorum validas in bella cohortes
Armabat, sedes augusta Conimbrica regum.
Vrbibus illa aliis victo procul hoste receptis
Læta ducum meritis plausit regina triumphis.
Hæc tandem nactus iuuenis loca, nil nisi magnum
Mente agitat, superûm regem, & cælestia regna;
Suspirátque, viámque ingenti adfectat Olympo.
Et quamuis nimium duris in rebus agebat

Ipse sibi asperior, sibi semper iniquior ipse,
Exanguésq; inopi victu tenuauerat artus,
Delicias tamen has ducit, mollémque vocat se,
Francisci quoniam magni tum fortè sodales
Vidisset, nudósq; pedes, & vellera crassæ
Incomptum indutos lanæ, pro mollibus intus
Sunt tunicis setæ horrentes, villosáq; texta.
Nec requieuit enim donec cum nomine primos
Mutauit cultus, & ab his discessit ad illos
Fernandus, dictúsq; ex illo Antonius idem est.
Illum confectum macie, & genua ægra trahentem,
Atque hic lapsantem, atque illic videre sodales,
Pallentémque genas, & opem cùm sæpè tulissent
Conlapso, nihilo tamen in se mitior ipse
Parcebat dapibus positis. tum colla, manúsque,
Atque opere atterere, atque insomnes ducere noctes
Tendebat, silicem capiti quo tempore nudam,
Straminá que incumbens sibi subdere rara solebat.
Heu pietas, cælique ardens sine fine cupido!
Audierat Libycis cæsos crudeliter oris
Esse viros, magni testatos numen IESV.
Corripuit noua flamma animum, cædíque recenti
Inuidet, & pulchra tepidum fudisse cruorem
Morte cupit: stat ferre gradum, cultrósq; furentum
Imbuere. ast illum cùm iam ventosa secaret
Æquora, languidulum retro dare vela coëgit
Febris anhela virum: qua postquam ereptus, eodem
Tendit iter, dulci properans sua funera letho.

 Sed

Sed non hæc, pro quo tantos fert spontè labores
Consilia, aut hæc ipsa Dei est immota voluntas.
Ecce ruens Libyca puppim procul arcet ab acta
Auster, & obliquat cursus, vocat ipse, trahítque.
Namque aliò Deus, atq; æquor simul, & simul auræ
Torquent, & Siculo sistunt in litore puppim.
Quò feror, aut quò me longè rapit æstus euntem?
Facta per, & decora alta viri, dic ipsa, docéque
Ausonia has laudes, etenim potes, omnia quando
Vidisti, breuibus pinnis non se mea musa
Tollit humo, neque tanta viri est potis edere facta;
Quæ siquis numerare queat, cùm turbida sæuit
Tempestas, numeret crebros ad litora fluctus:
Possit & hic altum lustrans sub nocte serena
Dicere quàm multis micet ignibus arduus æther.
Ac tum prima quidem virtus, & copia fandi
Enituit, magnis de rebus dicere iussus
Nil meditans iuuenis cùm longa silentia rupit,
Intentique patres tenuerunt ora, diuq;
Attonitæ, & subitò stupefactæ flumine mentes
Eloquij hæserunt, namque illum credere cuncti
Indoctum, & nullas animum coluisse per artes,
Qualem se, simulans animi bona tanta, ferebat
Usque silens, tantúmque facessere iussa paratus.
Sæpè illum Pataui est vrbs admirata loquentem,
Quam coluit quondam Ausoniis magis vrbibus vnam
Lysiades, campos cùm non numeranda patentes
Millia complebant, cùm non immania templa,

Nec populum vndantem caperent fora tota, viaéq;
Ut quondam lato Eridanus simul accipit alueo
Quos nox atque dies è nubibus exprimit imbres,
Magnanimus; verùm si Juppiter humidus vsque
Perstat agens pluuias, & nubila colligit vsque,
Erumpit, seq; in campos effundit apertos,
Et pecus, & stirpes, & tecta natantia raptans.
Noluerat gens dura olim, & malè credula vero
Stans propius tantum voces audire loquentis.
Tum vero manifesta daret quo signa piorum
Nil non posse manus, & non sine numine verba,
Mirum edebat opus aliquod; pudet, atq; pudebit
Te probri, culpæq; annos, ô Ariminum in omnes
Infelix, illum: quem namque audire recusas,
Jussum audire imo pelagi genus omne natantum
Excitum ruit, & squamis splendentibus exstat.
Ecce autem longè hinc hominum furit altera pestis
Immane audentum, & verissima quæque negantum.
Namque Tolosarum magnæ sub mœnibus vrbis
Quà prono fugiens campos secat amne Garumna,
Jnuenti, qui panem illum, quo numina magni
Súntque laténtque Dei, cerealia munera tantum
Esse putent, verùm qua nunc ratione probari,
Ille ait, hoc petitis, faxo hac ratione probetis
Inuiti, si me rerum sinit auctor obire
Tanta ministeria, & tali dignatur honore.
Ergo auidi tres impastum noctésq; diésque
Iumentum, spectantum inter media agmina sistunt,

Vesanóque fame ostentant hinc ordea, at illinc
Vir pius, heus tu vnum ex his animantibus, inquit,
Quæ Deus hic, manibus panem, numenq́; tenebat,
De nihilo dias in luminis edidit oras,
Flectere & hunc venerans, Dominumq́; Deúmque fatere.
Protinus inflectit quadrupes genua, & procumbens
Numen adorat, & oblatas auertitur escas.
Obstupuere animis, culpæq́; & criminis illos
Pœnituit, veniámque simul petiere dolentes.
Non ego, si centum linguis mihi ferrea centum
Ora sonent, numero memorans comprendere possim
Languentum morbos, & libera corpora morbis
Languentum. idem alios iterum vitalibus auris
Reddidit, idem alios insuetam cernere lucem
Posse dedit, tum posse alios & verba, sonósque
Insolitos patulis bibere auribus; ecce iacentum
Parte alia, tardéque, aut non sua membra mouentum,
Vndique conuulsis aut artubus ægra trementum
Turba gemit, miseros geniorum hos improba vexant
Agmina, cæruleis pendent è fluctibus illi
Præcipites, penitúsq́; imis furit æstus arenis:
Sensit opem, qua multa rogans sibi quisque poposcit.
Sancte veni, méque ipse volens, propiórque tuere,
Et tua clamantem præsentia numina, tot me
Eripe nunc inuicte malis, atque ablue mentis
Diue meæ puro non dignas æthere sordes,
Ablutumq́; manu tua per vestigia ducens
Depositis nouus exuuiis, vbi lucida templa,
Cælicolûm regem videam, sedésq́; beatas.

Turcis nauali prœlio victis,

ACHILLIS STATII LVSITANI EVCHARISTICON.



QVAS dicam, meritis non est par copia, grates,
Aut quibus accumulem supplex altaria donis,
Digna ferens, lætúsq; tuas quo carmine laudes
Concelebrem nunc, ô magni regnator Olympi,
O scelerum totiens nostrorum oblite, tuíque
O patrij immemores toties memor inter amoris.
Cúmque iterum ad summum vitiorum venerit error,
Et quos non decuit, maculis infecerit atris,

Tu

Tu tamen haud iterum ruptis ferus imbribus alto
Diluuiem vltricem, aut infestum depluis ignem,
Sed magni precibúsq; Pij, precibúsq; piorum
Paucorum, immeritis largiris munera victus,
Tótque mala exuperans cumulus pietatis inundat.
Ibat ouans spoliis, & præda victor opima
Barbarus, atque suæ captiuo remige classis
Pellebat vada salsa, tuis pater Hadria totis
Litoribus simul insultans, dum multus vtrimque
Seruitio abductus tuus, ah dolor, accola tristis
Nota tecta domus cedentia respicit, atque
Dulce nemus longè, suaq; arua, suósq; labores
Suspirans, vitem aprico flet colle relinqui.
Ecce autem apparent fœdæ vestigia flammæ,
Et nuper nemorosæ iniuria facta Zacyntho,
Hac rueret nostras cùm perfida classis in oras.
Iamq; Corinthiacus lætam sinus excipit, vrbes
Vicinæ plausere suis, Naupactos amicum
Litus, & hospitio non vnam præbuit aulam.
Dumq; fouet reducem, dum raptor puppibus altis
Hesperias ostentat opes, prædámque carinis
Confertam Ismariis, furtiuumq; explicat aurum,
Dum numerat captos, & ferrea vincula captis
Iniicit, & remis longo adligat ordine victos,
Hellespontiaco spectacula grata tyranno,
Austriacus triplicis ductor per cærula classis
Improuisus adest, ventóque, æstúque secundo.
Namque vnum in triplici venerantes numine numen

Sacro-

Sacrorumq́ pater pius, & rex ipse Philippus,
Et Veneti, quos nempe recens dolor attigit, vnum
Vnanimes legere ducem, cui credita rerum
Summa, ducésq; alij, ac iußi parere magistri.
At non Ismariæ ceßit fiducia genti,
Quæ noua prospiciens venientem ad prælia classem,
Oblatámque putans æquo sibi in æquore prædam,
Congreditur, subeunt Veneti discrimina primi.
Nam quas maiores vocitant de more triremes,
Sex primùm infestæ lunatis cornibus ibant:
Inde aliæ, atque aliæ, numero, quóque ordine iussæ.
Quas vbi confertas audere, ac tendere vidit,
Et trepidare metu, atque animis cadere incipit hostis,
Et dominos in se seruum genus horret euntes.
At nostri, quos armarat fiducia Christi,
Pérque preces, & per confessa piacula paßim
Pax magni quæsita Dei, vadunt solida vi.
Fit sonitus, cælum horribili tonat omne fragore,
Tormentísq;, atrísq; ardet procul ignibus æther.
Non vmquam irato ceciderunt fulmina cælo
Plura, nec auditæ toties per inane ruinæ.
Itur in aduersos iam stricto comminus ense.
Hortatur simul ipse suos dux barbarus: illi
Vix tandem reuocant animos, atq; arma retractant.
Omne genus, denso fundunt & spicula nimbo,
Rem propiúsq; gerunt, & puppes puppibus hærent,
Miscentúrque viri, fitq́ ingens vndique cædes.
Purpureo latè pelagus rubet omne cruore.

Dat victus, suppléxque manus, coüóque catenas
Accipit, & longo tandem certamine cedit
Barbarus. en prædas, en spes, & inania vota!
Alme Pater, laus, & sunt hæc tua dona, fatemur,
Sed tua sint facito propria hæc vt dona, tuisque
Muneribus dignos præsta, & quo Spiritus almus
Teq; tuo, natúmque tuum tibi iungit amore;
Diuinum inspirans animis concordibus ignem,
Tres illos vno deuinciat vnus amore,
Austriacóque vno duce gens non vna trophæis
Accedat Crucis, & totus tibi seruiat orbis.

FINIS.

HÆC carmina nihil habere offendiculi, sed à piis omnibus legi posse attestor

Vualterus vander Steeghen, S. Theol. Licent. Canonicus Antuerpiensis.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ Maiestatis priuilegio cautum est, ne quis *Laurentij Gambaræ Brixiani, rerum sacrarum librum*, citra Christophori Plantini Architypographi Regij voluntatē, intra octo annos imprimat, vel alibi impressum importet, distrahat, venalémve habeat per omnes eius ditionis fines, sub pœna confiscationis, & graui mulcta: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ vicesima Augusti, Anno M. D. LXXVI.

Signat.

Iac. Blyleuen.